



SYNODVS DIŒCESANA I.

Montis Falisci, & Corneti,

Exchanitis Emi Card. Coluc... QVAM


MARCVS ANTONIVS BARBADICVS

S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Susannæ Supradictarum Ciuitatum Episcopus.

HABVIT ANNO M.DC.XCII.

INNOCENTIO XII. PONT.

Pertinet ad Conventum ... Urbe.



ROMÆ, Typis Reu. Cam. Apost. M.DC.XCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiss. Sac. Pal. Apost. Mag.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

Imprimatur,
Fr. Thomas Maria Ferrari Sac. Pal. Apost. Mag.

MARCVS ANTONIVS
DIVINA MISERATIONE
TITVLI S. SVSANNÆ
CARD. BARBADICVS

Episcopus Montis Falisci, & Corneti Vniuerso Clero salutem in Domino.

DIVINI Legislatoris vestigia sequentes, vt nostri regiminis disciplina cælesti spiritu credentium vires augeantur in dies, bonorumque operum læti, vberesque fructus perpetua animi tranquillitate percipiantur ab omnibus, Synodales leges in hoc monte velut altero Sina vobis edicimus Dilectissimi Fratres, illas non in lapideis tabulis, quod Diuinæ tantum est potentiæ, sed in cordibus vestris carneis Deo iuuante feliciter cœlaturi. In numero constitutionum paucitatem, in pœnis irrogandis benignitatem, in dicendo facilitatem adhibuimus, ne numerus maior, quam par est, confusionem, pœnæ

pœnæ grauiores desperationem, & ipse dicendi modus aliquam pariat obscuritatem: Euangelicam, & Ecclesiasticam disciplinam hisce legibus exponentes, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in simplicitate sermonis loquendum Nobis esse duximus; quo facilius vos ad hæc salutaria monita capessenda, memoriæ mandanda, & ad praxim perducenda promptiores redderemus. Accipite igitur libenti, & parato animo hoc eximij, & perpetui nostri in vos amoris singulare monumentum; & sicut in eo Pastoralis nostræ sollicitudinis partes cumulatissime implere studuimus, & speramus in Domino; ità Vos facti cum Christo obedientes operi manum admouete, omnem diligentiam in exequendo fideliter præstate, vt, cum in illa extrema die iustus Iudex villicationis nostræ repetet rationem, mereamur accipere coronam gloriæ, quam promisit Deus dirigentibus, & seruantibus legem suam.

INDEX

Capitum Constitutionum Synodalium.

Prior numerus Caput, secundus paginam Indicat.

De

CON-

CONSTITVTIONES
ET DECRETA
Condita in Diœcesana Synodo
HABITA
In Ecclesia Cathedrali Montis Falisci Die 1. 2. & 3. mensis Iunij anno Domini M.DC.XCII.

INDICTIO SYNODI

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS MARCVS ANTONIVS Miseratione Diuina Tituli Sanctæ Susannæ Cardinalis Barbadicus Episcopus Montis Falisci, & Corneti.



IVINO ad Pastorale munus consilio vocati, ne creditarum nobis ouium saluti sollicitæ partes desiderentur, & vt nostræ Ecclesiæ in posterum Sacrorum Canonum animaduersione sit opportunè consultum, Sacrosancti Concilij Tridentini Decretis obtemperantes, hæc Sacra Comitia duximus conuocare, prout presenti nostro

edicto

edicto conuocamus, vt tam salutari remedio quæcumque ad Diuinum cultum conseruandum, & amplificandum, atque ad Ecclesiasticam, ac Christianam disciplinam, quantum in Domino possumus restituendam, prouideamus: in hanc certam spem Diuina ope adducti, vt vberes inde Charitatis, ac Pacis, quæ iuncta iustitiæ est, fructus plenis cum fœnore manipulis reportemus.



CA-

CAPVT I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica, eiusque puritate perpetuò retinenda, & conseruanda.

I.  IDES Catholica à D.Chrysostomo Religionis fundamentum appellatur, & nos huius nostræ Synodi fundamentum esse voluimus, vt eius scutum sumentes possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Cum autem nostrum sit ipsam ab omni labe semper intactam seruari, ac fidelium cordibus altas radices agere, ne à ventis tentationum, aut Hæreticalium doctrinarum concuti possit, iubemus à Confessarijs pœnitentes non esse absoluendos, qui Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis mysteria distinctè non calleant, necnon Christum Crucifixum, mortuum, & sepultum surrexisse à mortuis, ac in Cælos ascendisse, iterùm venturum, vt probis præmia, improbis æternas pœnas impertiat. Si Confessarij Decreto non paruerint, præter diuinam vltionem, alias pœnas arbitrio nostro infligendas subibunt.

II. Dispositioni Sacr. Concilij Tridentini sess. 24.c.12. de reform. Necnon Bullæ fel. rec. Pij IV. quæ incipit. *Iniunctum nobis*, inhærendo præcipimus, Fidei professionem emittendam esse ab om-

A nibus

nibus Beneficia curam animarum habentia, Canonicatus, aut Dignitates obtinentibus intra duos menses à die adeptæ possessionis coram nobis, vel nostris Vicarijs Generalibus sub pœna amissionis fructuum, ac alijs arbitrarijs. Obtinentes autem Dignitates, vel Canonicatus postquam Fidei Professionem coram nobis, vel nostris Vicarijs Generalibus emiserint, iterum emittere sub ijsdem pœnis teneantur in eo Capitulo, in quo Dignitatem, vel Canonicatum obtinuerint. Ad eamdem Fidei Professionem teneri volumus Concionatores siuè Sæculares, siuè Regulares; Sacerdotes ad audiendas Monialium confessiones deputatos; Officiales tribunalis Ecclesiastici; Ludimagistros tam nostrarum Ciuitatum, quam Diœcesis; & tandem Medicos omnes, atque Chirurgos, qui præter Fidei professionem, etiam Bullam fel. rec. B. Pij V. se ad vnguem obseruaturos iurabunt, nisi, cum Doctoratus gradu decorati fuerunt, vtrumque se fecisse ostenderint. Nomina deinde, & cognomina Fidem profitentium cum die, mense, anno, & testibus ad prædictum actum præsentibus à nostro Cancellario in peculiari libro describentur.

III. Nemini, & si Clerico, nisi Sacræ Theologiæ Doctori, vel Licentiato liceat de rebus Fidei disputare, aut sacras explicare scripturas absque nostra expressa licentia, aliter grauibus pœnis arbitrio nostro subiacebit.

IV. Sacræ Scripturæ verba ad sensum prophanum

num, ſcurrilem, ſeù ridiculum detorqueri omnino prohibemus. Concionatoribus verò, ne opiniones damnatas prædicent, neue non damnatas, damnatas eſſe aſſerant, penitùs interdicimus. Inobedientes grauiſſimis pœnis mulctabuntur.

V. Nulli Bibliopolæ, aut Imaginum venditori liceat venales exponere libros, vel imagines, aut quid ſimile, niſi habita priùs à noſtris Vicarijs Generalibus licentia in ſcriptis; nullique liceat libros prohibitos legere, ac retinere abſq; licentia: qui vero nouerit aliquem huius legis tranſgreſſorem quo ad libros Hæreticorum ex profeſſo de Religione tractantes ſciat ſe teneri ſub pœnis in Edicto S. Officij contentis ad eum denunciandum in noſtro eiuſdem S. Officij Tribunali, cuius Vicarij ſemper erunt noſtri pro tempore Vicarij Generales, coram quibus ſub eiſdem pœnis denunciandi erunt proferentes blaſphemias hæreticales; ſequentes propoſitiones damnatas, & præſertim impijſſimi Michaelis de Molinos, ac alij, de quibus in Edicto. Vt autem quiſque ſcire poſſit pœnam, cui ſubiacent non denunciantes, volumus prædictum S. Officij Edictum in Dominica Paſsionis ab omnibus noſtræ Diœceſis Concionatoribus de verbo ad verbum è ſuggeſtu legi.

VI. Hebræos, aut Hæreticos in proprijs domibus excipere, aut retinere cuicumque, ſub grauiſſimis pœnis noſtro arbitrio infligendis, prohibemus; Cauponibus verò non liceat, niſi pro prima nocte,

& per transitum, absque nostra speciali licentia. Si verò habita licentia Hebræi per nostram Diœcesim vendendo vagentur, caueant Parochi, ne falsa dogmata disseminent in vulgus, neue superstitionibus vtantur; idque obseruent Parochi, etiam cum Abyssinis, quos vulgo Cingaros vocant.

VII. Nemo repræsentare quocunque modo audeat historias sacras, seu spirituales, nisi per nos facta licentia: qui secus fecerit, decem aureis pro quacumque vice mulctabitur.

CAPVT II.

De Doctrina Christiana.

I. Vineam animæ nostræ, quam Diuinus Paterfamilias plantauit dextera sua, cælestis doctrinæ aquis perpetuò irrigatam esse voluit. Hinc sui populi Iudici huiusmodi præceptum tradidit. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus*. Negligentibus autem hominibus hanc aquam, vinea pene exaruit. Nos igitur cum simus ex ijs, *Quos Spiritus sãctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, tam graui malo occurrentes, volumus omnes nostræ Diœceseos Parochos esse diligentes in Doctrina Christiana tradenda, nedum pueris, sed omnibus eam ignorantibus, incumbentes præcipuè ad declarandum Mysterium

San-

Santissimæ Trinitatis, Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis Christi Seruatoris, ac eum non modo esse Redemptorem, sed etiam Remuneratorem. Verùm quia frequenter accidit, multos, parentum incuria, nunquã bene edidicisse orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Apostolorum symbolum, & cum sint prouectæ ætatis, eos pudet simul cum pueris Doctrinam Christianam ediscere, ideò iubemus nostræ Diœcesis Parochos illis diebus, qui ex præcepto coluntur, postquam fuerint ad Altare Sacrum peracturi, ante idem genuflexos alta voce recitare vulgari idiomate, distinctis versiculis, populo singula repetente, supradictam orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum in vno Festo; in altero verò decem Præcepta legis, & Ecclesiæ, ac septem Sacramenta, & ità per totum anni circulum singulis festis alternatim peragent. Negligentes vnum aureum locis pijs applicandum qualibet vice soluent.

II. Pueri, puellæque Doctrina Christiana erudiantur statutis horis, quæ populo commodiores eligantur, atque in hoc seruentur præcipuè statuta Congregationum huius Sanctæ Doctrinæ, vbi erectæ fuerint; vbi vero non adsint, seruentur decreta à nobis in Visitatione facta, ac leges impressæ in Catechesi nostro mandato typis edita.

III. Hortamur tandem parentes, vt omnem adhibeant diligentiam, ne eorum pueri tam necessarium exercitium negligant, *& quia validiora*

sunt

sunt exempla, quam verba, & pleniùs est opere docere, quàm voce, ipsi persæpe præsentes sint. Hortamur pariter in Domino, quantum possumus etiam Canonicos nostrarum Cathedralium, ac Collegiatarum, vt fauorem, assensum, assistentiam, & præsentiam præbeant operi tam pio, in quo cum de salute animarum agatur, diuinissima erit ipsorum cooperatio, nam iuxta S. Dionisij Areopagitæ sententiam, *Diuinorum omnium diuinissimum est cooperari Deo in conuersione peccatorum*.

CAPVT III.

De Verbi Dei Prædicatione.

I. AD Sacerdotes inter cætera officia maximè spectat annuntiare Fidelibus verbum Dei iuxta illud Euangelij: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Hoc tamen præcipuum Pastorum munus est, ne negligentes Diuini numinis iram incurrant iuxta minas: *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem, nec amplius pascant semetipsos*. Vt autem huiusmodi effugiantur minæ, iubemus, ac expresse mandamus ab omnibus animarum curam habentibus cunctis diebus festis de præcepto, inter Missæ Parochialis solemnia, seu alio

com-

commodiori tempore, facilibus, ac claris verbis explicari Fidei mysteria, Sacramentorum vim, ac præparationem requisitam, vt digne recipiantur, vitiorum turpitudinem, virtutisque decorem, Festorum obseruantiam; Et si aliquis Parochus ad id agendum non esset idoneus, volumus saltem, vt populo legat aliquam Homiliam ex impressis super Euangelium illius Festi, aut aliquem sermonem ad supradictas materias spectantem, quem seligere poterit, vel à P. Granata, seu Rodriguez vel à Christiano Instructo P. Segneri, vel à Parocho Instructore P. Agnelli, vel à Meditationibus PP. de Ponte, Franciotti, Busæi, Spinulæ, vel ex aliquo alio pio, & approbato Scriptore. Monemus tamen Parochos omnes, ne inter Diuina mysteria aliquid miscere audeant, quod ad res prophanas, & præcipue ad propria commoda, vel auaritiam pertinet; aliter facientes grauissimas pœnas nostro arbitrio luent.

II. Ab ijs locis, quibus Concionatoris nominandi facultas est, nominationem huiusmodi exhibendam esse decernimus pro approbatione in nostra Cancellaria Episcopali, vel ante festum Epiphaniæ, vel saltem per totum illum diem, quo transacto expiret pro eo anno nominandi facultas, & ad nos deuoluta intelligatur, monentes locorum Communitates, quibus tale competit priuilegium, vt Cõcionatorum nominationem ad nos mittant, neue litteras patentes faciant, in quibus se deputare, eligere, aut declarare aliquem in Concionatorem expri-

primant; Nam si quis cum talibus litteris repertus fuerit, concionandi munere pro illo anno per nos in nostra Diœcesi priuabitur.

III. Nulli Sacerdotum, siue Sæculari siue Regulari, qui non sit Parochus, & in sua Parochia, fas vllo modo sit, etiam cuiusuis priuilegij prætextu, prædicare, nisi per nos in scriptis facta licentia, quæ Regularibus non concedetur, nisi suorum Superiorum approbationem super idoneitate nobis exhibuerint. Illi autem qui à suo Superiore approbati in Ecclesijs sui Ordinis prædicare voluerint, id eis non liceat, nisi prius à nobis benedictione petita, nec nobis contradicentibus.

IV. Nequeant laici sub quolibet prætextu, aut quæsito colore Diuinum verbum populo annuntiare, sed solum in aliquo priuato colloquio pium librum legere, aut ad bonum priuatim hortari:

V. Ad Conciones approbati, munus exequi nihilominus nequeant, nisi prius ostensa facultate sibi à nobis concessa Parochis locorum, vbi concionandum erit, nec audeant Monialibus prædicare, absque nostra speciali licentia; quod si ad id muneris expresse deputati fuerint, interdictam tamen sibi esse sciant allocutionem cum Monialibus, nisi per nos facultas specialis ad hoc concedatur. Contrafacientes arbitrarias quidem, sed graues pœnas incurrent.

VI. Nocturno tempore Conciones haberi nequaquam permittimus, ne quidem Passionis tempore

pore, quo haberi volumus, vel feria v. in Cæna Domini serò, sed ante lucis occasum; vel Feria vi. in Parasceue summo mane, sed post claram lucem.

VII. Tempore Quadragesimæ ne, dum verbum Dei seritur, inimicus homo superseminet zizania, volumus, vt durante Concione, viri à mulieribus, vel tabulato, vel tela diuidantur, ita vt inuicem videri non possint.

VIII. Concionatores, siue Sæculares, siue Regulares prima vice, qua in nostra Diœcesi Concionem habebunt, Fidei Professionem coram nobis, vel nostris Vicarijs Generalibus emittere teneantur, quæ in libro professionum huiusmodi à nostro Cancellario describetur.

IX. Nemo in Concionando spernere, vel deridere audeat Sanctissimæ Communionis frequentiam, sed eam potiùs suadeat, inculcata tamen necessitate purissimæ, ac deuotissimæ præparationis ad tantum Sacramentum ritè, rectèque suscipiendum, ac exaggeratis pœnis, quæ indignè sumentibus seruantur, obseruando in hoc ad vnguem Decretum Sac. Congregationis Concilij sub fel. rec. Innocentij XI. die 12. Februarij 1679. emanatum.

X. Animaduertant prætereà Concionatores, ne inter concionandum res obscuras, dubias, seù incertas admisceant, quæ auditores in aliquem inducere possint errorem: Caueant etiam à subtilibus hæreticorum argumentis, quæ in suggesto exponi populo non debent, nec impugnandi causa, cum

ex hisce disputationibus experimento compertum sit, plus detrimenti, quàm vtilitatis auditoribus afferri. Indulgentias absque nostra, vel nostrorum Vicariorum Generalium expressa licentia, ne publicent. A falsis miraculis abhorreant. Sacram Scripturam interpretari non audeant, nisi in sensu à SS. Patribus, vel classicis auctoribus approbato. Reuelationes, seu propheticas prænunciationes à S. Sede Apostolicâ non approbatas omninò prætermittant. Mala futura tamquam certa, & pro die statuto, vel aliquem diem certum aduentus Antichristi, aut vniuersalis Iudicij, non præcinant, nam contra facientes, præter inhabilitatem perpetuam ad concionandi munus, excommunicationem latæ sententiæ incurrent Summo Pontifici reseruatam, iuxta Decretum Concilij Lateranen. sub Leone X. sess. 11.

XI. Vt Concionatores peccata, non peccatores insequantur, & prædicationi, non detractioni operam nauent: abstineant penitùs à nominanda, designanda, vel ità describenda aliqua peculiari persona, vt à populo facile intelligi possit, de qua loquantur, multò magis si sit Superior, siue Ecclesiasticus, siue sæcularis. Tantum scelus nunquam impunitum relinquatur. Si verò aliquando locus erit vitijs Magistratuum, aut Sacerdotum persequendis, id tanta fiat modestia, vt nulla irreuerentia, aut abominatio erga eos in populo producatur.

XII. Si

XII. Si aliquis [quod Deus auertat] errores, aut ſcandala in populum diſſeminauerit, ſtatim Parochi de omnibus nos commonefaciant, & interim Concionatori munus interdicant, donec à nobis fiat, quod expedire iudicabimus.

XIII. Volentes aliquando Concionatores Immaculatam Deiparæ Conceptionem meritis laudibus extollere, caueant, ne contrariam opinionem vti hæreticam, temerariam, impiam, aut ſcandaloſam damnent, vt pœnas contentas in Bulla fel.rec. Alex. VII. quæ incipit *Solicitudo*, euitent.

XIV. In ſuis propoſitionibus confirmandis, tantùm doctrinis vtantur, ac auctoribus claſſicis, nullo modo neotericos ad comprobationem nominatim allegantes, iuxta Decretum Sac.Cong.S.Officij ſub die 27. Aprilis 1649. Meminerint quoque ſe tamquam Chriſti imitatores, ne dum docere debere, ſed etiam facere; Nam vt D. Bernardus ait: *Vitæ iuſtitia omninò roborat, & animat nos, vt tanto magis accendamur ad agenda, quæ docuit, quanto certi ſumus eum non alia docuiſſe, quam fecerit.* Hortamur tandem Apoſtoli imitatores eſſe, qui teſtimonium Chriſti annunciauit, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, vt Fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. Venuſtates enim quædam, quæ à Rhetoricis flores appellantur, nullum in animis fructum producunt, quia teſte Quintiliano: *Iacet ſenſus in oratione*,

vbi verbã laudantur. Ac proinde omnes Concionatores memores esse vellemus optimi moniti D. Hieronymi ad suum Nepotianum: *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lachrymæ auditorum laudes tuæ sint.*

CAPVT IV.

De Sacris Reliquijs.

I. QVam mirabilis semper fuerit Deus in Sanctis suis, ne dum viuentibus, sed etiam mortuis, ipsorum Reliquiæ comprobant, quarum contactu plurima iugiter miracula perpetrantur. Meritò itaque S. Mater Ecclesia, ac Sacra Concilia, & præsertim Tridentinum, perpetuo à Fidelibus venerandas esse statuerunt; sed quia vel impiorum malitia pios fallere studet ob sordidum quæstum, vel vulgi superstitiosa simplicitas indiscreta pietate pro Reliquijs, quæ talia non sunt, persæpe veneratur; iubemus imposterum, ex Reliquijs, quæ authenticis carent documentis, eas tantùm venerandas esse, quarum cultus immemorabilis probatur, dummodò de identitate constet, nec falsitatis vlla possit oriri suspicio. Cæteras verò, quæ nec authenticæ sunt, nec immemorabili cultu gaudent, volumus in aliquo vase mundo asseruari, nec vn quam exponi publicæ venerationi.

II. Nouæ Reliquiæ Christi Fidelium cultui

mini

minimè exponantur, etiamsi id fieret in Ecclesijs Regularium, nisi prius facta per nos, aut nostros Vicarios Generales recognitione, & illis in theca decenti collocatis, ac nostro sigillo munitis, necnon ipsa recognitione in Episcopali Cancellaria registrata. Alias facientes grauissimis subdantur pœnis.

III. Thecæ Reliquiarum separatim à quibusuis alijs rebus, quantumuis sacris in aliquo armario foris, & intus decentius, quam fieri potest ornato, ac in loco humiditati minimè obnoxio reponantur, hac, vel simili epigraphe apposita: SACRÆ RELIQVIAE: nec non obserentur claue, quam loci Parochus custodiat: vbi vero consuetum sit, aliquam clauem etiam apud Magistratum, vel Confraternitates seruari, ibi duæ, vel plures fient claues, inter se distinctæ, vt vna sine altera armarium reserare non valeat, quarum vna semper apud Parochum asseruetur; In nostris tamen Cathedralibus, præter alias, vna semper apud nos, vel apud aliquem à nobis deputatum custodiatur.

IV. Sacrarum Reliquiarum cultum deceret lampadem accensam coram armario semper habere, sed vbi Ecclesiarum paupertas id fieri non permittit, non esset incongruum à latere Altaris Sanctissimi Sacramenti armarium collocare, vt idem lumen ambobus colluceret: quod si tamen commodè fieri non potest, accendatur saltem lampas diebus festiuis, & præcipuè cum populi frequens est ad venerationem concursus.

V. Si

V. Si aliquem infirmum Sacris Reliquijs in Ecclesia tangi contigerit, id semper fiat à Sacerdote Superpelliceo, & Stola induto, luminibus accensis, ac cum reuerentia; idemque seruetur, si domum infirmi Reliquiæ ferantur, quod licebit, dummodò statim post contactum ad armarium reportentur; earum rasura non detur infirmis, nec à thecis vllo modo extrahantur, nisi velint inobedientes grauissimis pœnis subiacere.

VI. Cum ob translationem, vel collocationem Reliquiarum, aut alicuius Corporis Sacri Processionem institui contigerit, id, nisi à nobis facultate impetrata fieri prohibemus, monentes eos, quorum interest, ne huiusmodi Processiones instituant, aut Sacras Reliquias ostendant, vel aliquò deferant ob turpem quæstum, quia graues sui delicti pœnas dabunt: Cùm verò eas ostendunt, aut Processionaliter ferunt, id faciant debita cum reuerentia, multis nempe accensis luminibus, Superpelliceo, & Stola induti, cum Ministri assistentia, & alios ritus ad Cæremonialis præscriptum ad vnguem obseruando.

VII. Vt Populi in suis necessitatibus ad Sanctos, quorum sunt Reliquiæ recursum habere possint, tabellam fieri iubemus, in qua ipsorum nomina distinctè describantur, ac prope armarium appendi, cuius descriptionis copia, altera apud Parochum, altera in nostro Archiuio Episcopali diligenter asseruetur.

CA-

CAPVT V.

De Sacris Imaginibus, & veneratione Sanctorum.

I. SAcrarum Imaginum vſus, quem Chriſtus ſui Corporis effigiem in Sancta Sindone imprimendo approbaſſe cenſetur, non modo in Eccleſia retentus ſemper fuit, ſed & ſecunda Nicęna Synodus impoſterum retinendum eſſe decreuit; noſtrum tamen eſt, abuſus, qui quotidiè hominum, vel impietate, vel ignorantia, vel ſimplicitate irrepunt, penitùs extirpare: vt & Sancti cultu ſuperſtitioſo non colantur, & Deus in ijs ipſis, quibus eum venerari deſideramus, non offendatur. Statuam igitur aliquam, ſeù picturam alicuius Sancti publico cultui in Eccleſia exponi vetamus, quæ priùs, à nobis vel à perſona per nos ſpecialiter deputata recognita, & approbata non fuerit, ac iuxta S.R.E. ritum benedicta.

II. Imagines, vel picturæ in aliqua Eccleſia exiſtentes, vel temporis iniuria, vel artificis imperitia ità deformes; vt ad riſum, non ad pietatem excitent, reformentur, ſi fieri poteſt: ſin autem, picturæ, vel Statuæ ligneæ comburantur, earumque cineres ponantur in piſcina; Statuæ verò lapideæ, vel ſub Eccleſiæ pauimento, vel in Cœmeterio condantur.

III. In pauimento, vel loco humiditati obnoxio,

xio, ſeu ſub feneſtris à pluuiarum incurſu non liberis Sanctorum Imagines, ſeu Cruces minimè pingantur; multò minus id fiat in locis ſordidis, ſeù in officinarum, ac tabernarum inſignibus. Non parentes huic noſtræ Sanctioni, æqualem inobedientiæ pœnam ferent.

IV. Hominum, etiam ſanctitatis fama celebrium, Imagines diademate, vel ſplendoribus ornatas, exponere nemo audeat, niſi priùs à S. Sede Apoſtolica, vel Canonizati, vel ſaltem Beatificati fuerint. Qui ſecus fecerit, grauiſſimas dabit pœnas, quas etiam non effugient, qui Dei, vel Chriſti, vel Deiparæ, ſeu Angelorum, aut Sanctorum Imagines exponent, ſeù modis ab Eccleſia non approbatis, vel immodeſtis, ſeù laſciuis effictas.

V. Sacrarum Imaginum noua miracula euulgare nemo præſumat, niſi priùs à doctis viris, per nos ad id ſpecialiter electis, examinata, probataque fuerint. Qui non paruerint pœnas etiam corporis noſtro ferent arbitrio.

VI. Parochi tandem Populum diligenter doceant; Imagines colendo, ne ſpem, ſeù fiduciam in illis figat; ſed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ per illas repræſentantur: per imagines Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Quod ſi hanc neglexerint inſtructionem, præter pœnas à nobis infligendas, diuinam vltionem ſe nouerint incurſuros.

CA-

CAPVT VI.

De Sacrosanctis Ecclesiis construendis, & conseruandis, earumque debita veneratione.

I. DIuinissimus humilitatis, mansuetudinis, & patientiæ Magister, qui inter tot, tantaque opprobria, conuicia, atque tormenta tanquã Agnus innocens ductus ad macellum obmutuit, cum tamen Templum prophanari conspexit, domus suæ Zelo incensus fecit flagellum de funiculis, & eiecit de Templo ementes, & vendentes Oues, Boues, & Columbas, vt nobis ostenderet omnem conatum adhibendum esse, ne Dei Ecclesia aliqua irreuerentia polluatur; nos propterea tanti Magistri exemplo commoti, vt scandala, corruptelæ, & abusus à tam sancto loco procul absint, & omnia pietatem, Religionemque redoleant, volumus nemini licere Ecclesias, Oratoria, Cappellas, Altaria, cęterasque Sacras ædes construere, seu transferre absque nostra speciali facultate, quæ nemini concedetur, nisi de congruæ dotis assignatione pro loci sacri suppellectile, & Ministris per legitima documenta constabit. Si quis contra facere ausus fuerit, Parochus, in cuius Parochia ædificatur, sub decem aureorum pœna, statim nos reddat certiores, vt opportunis iuris remedijs tantæ audaciæ occurrere

possimus. Construentes autem, habita facultate, & debitis cum requisitis, ædificia huiusmodi per se, vel per alios, ibi celebrare minimè possint, nisi nostra, vel nostri delegati præcesserit benedictio.

II. Ecclesiæ, seu Cappellæ dote, & suppellectilibus carentes, quæ neque fidelium eleemosynis decenter seruari possunt, vel suspendantur ad tempus, donec eis pro congrua sustentatione aliquid assignetur; vel si huiusmodi spes desit, penitus destruantur; si verò fuerint iuris Patronatus, cogantur Patroni, vt necessaria subministrent; quod si renuerint, amittant ius; illudque proprio sumptu subministrantibus concedatur.

III. Si aliqua Ecclesia, vel Cappella ob Rectoris defectum corruerit, subtractione fructuum pro illius refectione negligentia puniatur, additis etiam pœnis nostro arbitrio decernendis. Sed si aliqua Ecclesia Parochialis absque Parochi culpa corruat, ad eam reficiendam concurret prius ipse Parochus sui Beneficij fructibus, qui detracta congrua sustentatione illi supererunt; quod si non sint satis, prius Beneficiati, deinde Patronatus in huiusmodi Ecclesia existentes, postea Confraternitates, ac tandem Populus necessaria subministrabunt.

IV. Nemini domum Ecclesiæ contiguam possidenti fas sit fenestram, aut portam habere, ex qua ingressus, seu prospectus immediatus in ipsam Ecclesiam pateat: si forte adsit sub pœna quinquaginta

ta aureorum locis pijs applicandorum, intra mensem claudatur.

V. Ecclesiarum fenestræ vitro, tela, vel charta perlucida ità claudantur, vt Hirundinibus, cęterisque auibus nullo modo pateat aditus, ne suppellex, Altaria, seu Imagines coinquinentur.

VI. Oratoria non benedicta in vijs publicis, vel campestribus ædificata, vbi non celebratur, Altaribus carere volumus: ne quid tamen indecens in eis fiat, ligneis cancellis, vel ferreis cratibus occludi iubemus.

VII. Campanas, quæ in Ecclesia sitæ sunt, nemo pulsare audeat, nisi Parochi, vel Ecclesiæ Rectoris accedente consensu, & statutis horis; ac ad conuocandum Populum, ad Diuina Officia persoluenda, vel audienda, vel ob aliquam vrgentem necessitatem à Parocho, vel Ecclesiæ Rectore dijudicandam. Qui contra fecerit, singulis vicibus aureos tres locis pijs applicandos persoluet.

VIII. Arbores, seu spineta, quæ parietibus, vel lumini Ecclesiarum obsunt, vel obesse possunt, penitus auferantur. Officinæ, vel Tabernæ propè Ecclesias non aperiantur, ac apertę claudantur, nisi triginta passibus ab eis distent, idque etiam quoad animalium stabula, areas ad fruges terendas, præcipuè propè Ecclesias Parochiales, vel Monasteria; sub pœnis arbitrio nostro decernendis, obseruari mandamus. Choreas, ludos, spectacula, clamores, cantilenas, rixas, turpiloquia, & huiusmodi prope

loca supradicta, sub vigintiquinque aureorum pœna qualibet vice persoluenda, & locis Pijs applicanda, vetamus. Prope autem prædicta fieri declaramus, si delinquentes à loco sacro, vel Monasterio quinquaginta passus non distabunt.

IX. Collocutiones, deambulationes, comessationes, Instrumenta, Testium examina, Cadauerum recognitiones, Concilia, seu Conuentus in Ecclesijs nullo modo habeantur. Edicta prophana ipsarum valuis non affigantur, sclopi, & hastæ cuiuscumque generis in eis non ferantur. Triticum, ligna, domestica suppellex, aut quidquam aliud indecens ibidem minimè detineatur. Turpiloquia, cęteraque scęlera à locis tam Sanctis procul absint. Si quis in aliquo prædictorum nostris Decretis non paruerit, pro modo culpæ pœnam feret.

X. Dei Templa, in quibus cęlestis charitas die, nocteque debet ardere, prophanis amoribus violare tam nefas est, vt Diuinæ Misericordiæ pene incapaces temeratores huiusmodi reddantur, vbi autem immanissimum scælus Parochi perpetrari animaduerterint, nos vel nostros Generales Vicarios admonere non differant, vt opportunis vti possimus remedijs, ne morbus vsque ad desperationem augeatur, & vt Sacrorum venerationi locorum quamprimum consulamus.

XI. Qui pileos, & pallia super aris, vel Sacro Fonte posuerint, aquæ lustralis Conchæ incubuerint, in Ecclesiæ foribus nugis operam dederint se-


den-

dendo, seu vno tantum genu flexo, vel extra Ecclesiæ fores genuflexi, si ter moniti non resipuerint, dimidium aurei qualibet vice ipsi Ecclesiæ soluent.

XII. Ad sepelienda Cadauera Ecclesiarum pauimenta non dissoluantur, sed condantur in Sepulchris ad hunc effectum ità constructis, ut nullum malum exhalent odorem. Si alicuius præstantissimi Viri monumentum à terra eleuatum, & ad Ecclesiæ ornamentum fieri contigerit, nemini liceat, nisi data per nos facultate. Cadauera, quæ sub suppedaneis altarium existunt, pluribus Sac. Congregationis Episcoporum Decretis debent aliò trãsferri, & interim altaria interdici, prout de facto interdicimus, & Sepulchra, quæ sunt Altaribus ità propinqua, vt Corpora ibidem humanda necessariò sub Altari, vel suppedaneo collocanda sint, statim aboleri mandamus. In nouis sepulchris absque nostra facultate nulla ponatur inscriptio: In medio Cœmeteriorum, & supra portam Crucem collocatam volumus, ipsaque Cœmeteria muro, tabulis, aut septo ita iubemus esse circumdata, vt belluis nullus detur ingressus, nec quidquam indecens ibidem valeat perpetrari.

XIII. In Ecclesia dormire maximam sapit irreuerentiam, ideòque id fieri vetamus, ac proinde nocturno tempore Ecclesias clausas esse volumus, sub pœna vnius aurei qualibet vice ab Ostiario soluendi.

XIV. Omnibus Ecclesiarum Rectoribus inter-



terdictum sit in Ecclesijs ipsis aliquem recipere, vel bannitum, vt vocant, vel criminali de causa contumacem, nisi à nobis expressa data facultate, sub pœna trium aureorum locis Pijs applicandorum; quod si aliquis ibidem improuisò confugerit, statim Rectores sub eadem pœna ad nos deferre teneantur.

XV. Templorum pauimenta, vel lateribus, vel lapidibus politis, non rudibus, constent. Fenestræ nouem cubitis saltem à solo promineant; sin autem, ferreis cratibus muniantur. Adsit in qualibet Ecclesia, piscina semper obserata, quæ nunquam, nisi in ipso vtendi actu aperiatur. Altarium suppedanea non lateritia, seu lapidea, sed lignea sint. Aræ sacræ, seu lapides sacrati tela cerata cooperiantur, & ne vnquam à Laicis tangi possint, ipsa tela, vel clauis, vel alio modo ità firmetur, vt immobilis semper existat. Aquæ lustralis concha à latere dextro, vel ab vtroque latere cuiuscumque Ecclesiæ ponatur, quæ sit lapidea, & affabrè laborata, vt munda semper seruetur. Ipsam lustralem aquam octauo quoque die renouari mandamus.

XVI. In qualibet Ara Imago, vel Statua benedicta sita sit. Ara ipsa tribus mappis ad rubricæ præscriptum cooperiatur, quarum superior à lateribus vsque ad terram pendeat; ab anteriori parte tribus, vel quatuor tantum digitis extra aram extendatur, ita vt cooperire possit pallij, seu frontalis summitatem, quod semper ante aram adesse debet coramine, vel lanea, seu serica materia confectum,

co-

coloris officiorum celebrationi vniformis. In reliquis ad Altaris ornatum pertinentibus Missalis Romani Rubrica adamussim seruetur.

CAPVT VII.

De Sacrario, & Sacra Suppellectile.

I. AD Ecclesiarum decus maximè spectat vnamquamque suum habere Sacrarium, cuius vsus quis sit à D. Paulino in descriptione templi S. Felicis Nolani duobus hisce carminibus mirum in modum exprimitur:

Hic locus est veneranda penus, qua cōditur, & qua Ep. 12 ad Seuer
Promitur alma sacri pompa ministerij

Nulla sit itaque in nostra ditione Parochialis Ecclesia, quæ Sacrario careat. In Ecclesijs Confraternitatum, Monasteriorum, cæterisque Oratorijs, nisi maxima obstet paupertas, pariter ædificari mandamus, ac in eo Sacræ seruentur suppellectiles, Confraternitatum abaci, Sandapilæ, seu Feretra, si adsint, ac cætera, quæ in Ecclesijs dedecet asseruari.

II. In Sacrarijs ædificandis loci humiditas vitetur. Eorum fenestræ foris ferreis cratibus, intus verò cancellis vel vitreis, vel ligneis, vel chartaceis muniantur. Fores autem huiusmodi sæpe aperiantur, vt aeris transitu locus siccus conseruetur, & suppellex, libri, ac reliqua ibidem existentia non marcescant. Per Sacrarium ad Ecclesiam sit aditus

tus, cuius porta, satius foret, si sponte clauderetur, vt viris sæcularibus commoditas auferretur ingrediendi ad colloquendum, cum tantum Ecclesiasticis aditus patere debeat, vt ad sacra peragenda summo silentio se præparent.

III. Adsit in quolibet Sacrario saltem vnum scabellum ad genua submittenda formatum, supra quod aliqua Sacra imago cum Tabella præparationis ad Missam sita sit, vbi Sacerdos animum parare possit antequam sacrum peragat. Ponatur prope illud scabellum aliud, in quo, si Sacerdos celebraturus confiteri velit, Confessarius sedere possit. Adsit prætereà malluuium ad manus lauandas, prope quod mantile pendeat ad easdem tergendas.

IV. Nullum Sacrarium, quàmuis paupertate oppressum, careat armario varijs distincto tabulis ad Sacram supellectilem, & necessarios libros conseruandos. Abacum quoque habeat, super quo Sacra indumenta, & Calices ad Missas celebrandas exponantur; nec non & concham, siue cupream, seu saltem terream, ad Calicis Pallas, Corporalia, Purificatoria, & huiusmodi abluenda, quorum lotura in piscinam proijci debet.

V. Obligationes Missarum, & legata pia describantur in tabella, quæ in Sacrario publicè exponatur, ac ei consonet Liber, in quo scribantur omnes Missæ, quæ singulis diebus celebrantur. Planetæ ex omnibus coloribus, cum suis stolis, manipulis, velis, & bursis, & iuxta formam à rubrica

præ-

præſcriptam, non deſint. In Collegiatis, & Parochialibus albæ cum amictibus, & cingulis ſint ſaltem tres, corporalia cum pallis quinque, purificatoria decem & octo, Calices cum Patenis ſaltem duo, ſicut & Miſſalia de Sanctis, totidemque erunt Miſſalia pro Defunctis. Si Miſſalia ſint ita lacera, vt aliquid legi nequeat, vel in canone vnum tantum verbum deficiat, ipſo facto ſuſpenſa eſſe declaramus, donec inſtaurentur, ſi fieri poteſt; ſi vero nequit, penitus auferantur. Ampullæ in Parochialibus, vel Collegiatis ſint ſaltem quatuor cum duabus patinis, ac octo linteolis; in paruis autem Eccleſijs, vel Oratorijs omnium prædictorum numerum illum decernimus, qui ad Miſſas, quæ in eis celebrantur, decenter ſufficiat.

VI. Curent præſertim Eccleſiarum Rectores, & Sacrariorum Cuſtodes, ne Altarium mappæ, aut quælibet Sacrarum veſtium, quæ non ſit benedicta, aut Patena, vel Calix, qui conſecratus non ſit, adhibeatur; negligentes præter lethalem culpam, qua ſe obſtringent, alias noſtro arbitrio pœnas ferent; quas etiam ſubibunt, ſi ſacris vtantur veſtibus ita laceris, vt benedictionem à miſerint, ſeu Patenis, aut Calicibus tam enormiter fractis, vel auro detectis, vt conſecrationem amiſiſſe cenſeantur.

CAPVT VIII.

De Immunitate Ecclesiastica, & bonis Ecclesiæ non alienandis.

I. SAcerdotalis dignitas ita cæteris semper præcelluit, vt Barbarorum immanissimi sacro quodam horrore perfusi, eos etiam venerati sint, qui Sacerdotis speciem vix præseferrent. Hinc apud Ethiopes solis Sacerdotibus Regem vita priuare licebat; apud Ægyptios præter Regem Sacerdotes tantum purpura induebantur; apud Medos, & Persas solum ipsi controuersias dirimere poterant. Non igitur mirum sit, si veri Dei Sacerdotes Ecclesiasticæ Immunitatis priuilegio fruuntur tot Catholicorum Imperatorum, Regumque edictis, tot Summorum Pontificum Bullis; quorum vestigijs nos inhærentes, nostræ Diœcesis Magistratibus Sæcularibus cuiuscumque gradus, aut Dignitatis imperamus, ne contra Immunitatem, libertatemque Ecclesiasticam, siue directe, siue indirecte Edicta iubeant, Statuta condant, consuetudines introducant, aut sententias ferant, neue Clericos Regulares, aut Sæculares, seu Moniales, vel alias personas, quæ à consuetudine, vel à iure Ecclesiastica gaudent Immunitate, molestare audeant, aut soluere collectas, gabellas, pedagia, seù alia huiusmodi onera cogant, aut compellant; aliàs Excommunicatio-

tionem in Bulla Cænæ contentam ipso facto incurrent.

II. Trahentes directe, vel indirecte personas Ecclesiasticas, seu immunitate quomodolibet gaudentes ad forum Laicale, vel processus contra eas conficientes, mandata relaxantes, aut Carceribus mancipari facientes præter nullitatem omnium, & quorumcumque actorum eidem excommunicationi subiaceant.

III. Extrahentes, vel extrahi facientes aliquem à loco Sacro vi, minis, dolo, fraude, aut blandis verbis, siue fallacibus promissis Excommunicationem in Bulla Greg. XIV. contentam, aliasque Sacrorum Canonum censuras, & pœnas statim subibunt.

IV. Litteræ, Præcepta, Edicta, ac cętera huiusmodi à Nobis vel nostris Vicarijs Generalibus ad Immunitatis Ecclesiasticæ, nostræque iurisdictionis defensionem emanata reuerenter recipiantur, obseruentur, ac executioni mandentur à Gubernatoribus, Magistratibus, atque Notarijs Sæcularibus nostræ Diœcesis, qui, cum opus fuerit, brachium, auxilium, & fauorem præbeant ipsorum executioni, ne pœnas contra libertatis Ecclesiasticæ violatores latas incurrant, quibus etiam subiacebunt, si quocumque prætextu, vel quæsito colore, per se vel per alios etiam oretenus, aut minis, aut alijs quibuscumque verbis nostros Ministros impedient, ne nostra, vel nostrorum Generalium Vica-

riorum Edicta, Decreta, Præcepta, Mandata, Litteras, Sequeſtra, aut alia huiuſmodi executioni mandent.

V. Et quia bona Eccleſiaſtica eadem gaudent Immunitate, qua Perſonæ; qui ea vſurpare, aut quomodolibet occupare præſumpſerit, Excommunicatione latæ ſententiæ ſtatim ſe obſtringet, à qua, niſi priùs factà reſtitutione, ſoluj nequibit; quod ſi ſuper ipſis bonis aliqua lis oriatur, non alibi, quam in noſtro Tribunali decidi volumus, etiam ſi bona cum Sæcularibus communiter poſſideantur: non parentes grauiſſimas noſtro arbitrio pœnas dabunt.

VI. Capitula, Rectores, & ceteri adminiſtratores Eccleſiarum, aut locorum Piorum, vel quorumcunque bonorum Eccleſiaſticorum intra tres Menſes à publicatione præſentis Synodi, & qui impoſterum Beneficia, vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationes obtinebunt intra tres Menſes à die obtenti Beneficij, ſeù Adminiſtrationis diſtinctiſſimum conficere debeant inuĕtarium omnium, & quorumcunque bonorum Mobilium, Stabilium, & Semouentium, librorum, reddituum, expenſarum, rationum, & inſtrumentorum appoſitis reſpectiuè deſcriptionibus, finibus, menſuris, vocabulis, ac ceteris, quę pro cuiuſque rei qualitate deſiderari poſſunt. Huiuſmodi autem inuentarij exempla duo conficiantur, quorum alterum apud ipſum Rectorem, alterum verò in noſtra Cancellaria aſſeruetur,

tur; negligentes decem aureorum pœna mulctabuntur.

VII. Nullus contractus super bonis Ecclesiarum, Beneficiorum, seu locorum Piorum fiat, qui speciem donationis, permutationis, aut alienationis, etiam lato sumpto vocabulo præseferat, nisi à Summo Pontifice, vel à nobis in casibus à Iure permissis facultate legitimè impetrata. Qui secus de præterito contraxerunt, vel in futurum contrahent, sciant se nulliter contraxisse, & pœnas Sacris Canonibus Statutas contra bona Ecclesiastica alienantes incurrisse. Locationes verò ad triennium cum pacto renouationis, vel anticipatis solutionibus factæ nullatenus in præiudicium successorum validæ intelligantur.

VIII. OEconomi, Rectores, seu Administratores Beneficiorum, aliorumque bonorum Ecclesiasticorum, seu ad Monasteria, Confraternitates, Hospitalia, vel alia loca Pia quomodolibet spectantium ipsa bona sibi ipsis locare minimè possint sub pœna nullitatis contractus, amissionis fructuum, ac alijs pœnis nostro arbitrio infligendis; nec consanguineis, aut Viris potentibus id fieri sub eisdem pœnis permittimus, nisi distinctè in locationis instrumento descriptis prædij locandi finibus, vocabulis, mensuris, ac sitibus, & facta per Conductorem obligatione, quod bona conducta deteriora non faciet. Ex pecunijs Beneficiorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Xenodochiorum, seu Hospitalium,

lium, Confraternitatum, cęterorumquè locorum Piorum census constitui non permittimus, nisi qui pecuniam ad censum voluerit recipere, prius per nos, vol nostros Vicarios Generales fuerit approbatus, idoneamq; præstiterit fideiussionem in euentu deteriorationis, vel mortis renouandam, idque locum obtineat tam in censu nouiter creando, quam in vetere, vt vulgo dicunt, reaccensando. Qui secus fecerint, non modò ad omnia damna, expensas, & interesse teneri volumus, sed alias pœnas nostro arbitrio dabunt.

IX. Arbores frugiferas incidere absque nostra expressa facultate nemo possit. Si Siluæ sint cæduæ, temporibus, & modis debitis nihilominus incidantur, sicut incidi posse concedimus arbores aridas, & infructuosas pro moderato tantum vsu Beneficiatorum, vel locorum Piorum; quod si dubitari contigerit, an fructum dare possint, nostram requiri volumus facultatem. Si verò aliquis in prædictis inobediens repertus fuerit, pœnas contra ipsum pro modo culpæ decernemus, quas tamen semper grauissimas luent, qui cęmenta, trabes, aut quid simile vendiderint, aut quocumque modo distraxerint.

X. In frontibus domorum, quæ ad liuellum perpetuum dari dicuntur, nè dominorum memoria tractu temporis pereat, volumus, vt Rectores, seu Administratores Lapidem, seu Lapides immobiliter collocandos curent, in quibus Domini nomen, vel insignia describantur.

CA-

CAPVT. IX.

De Cellebratione Missarum.

I. SAcrosanctum, tremendumque Missæ Sacrificium, vbi Christus victima simul est, atque Sacerdos, tantam mentis attentionem, tantam Corporis compositionem, tantam Conscientiæ puritatem, tantum Spiritus ardorem requirit, vt quicunque magnus apparatus eius excellētiæ comparatus minimus videatur. Animaduertant igitur, qui Sacerdotij primitias Deo libare desiderant, vt ad id peragendum omni diligentia se comparent; nec quisquam Missam nouam canere audeat, nisi priùs cęremonias optimè calleat, & Magistri cęremoniarum, vel alterius deputati Fide exhibita, facultatem à nobis impetrauerit; aliter decem aureos locis Pijs in pœnam soluet. Cum autem primam Diuinæ Maiestati Hostiam quis immolauerit, nullo modo in Ecclesia se exponat ad munera, oblationes, & donaria recipienda, quæ sub Eleemosynarum titulo sępe Simoniacam redolent labem, neque tam Sanctum opus comessationibus, ebrietatibus, ludis, choreis, aut scurrilitatibus polluatur.

II. Qui Ecclesijs quoquo modo præsunt, si Sacerdotem vel celeriter, vel immodeste, vel cæremonijs ineptis celebrantem viderint, seu missam malè legere obseruauerint, statim ad nos deferant, nisi velint grauissimas pendere pœnas; quibus pœnis etiam

etiam ſubijcientur, qui talari veſte non induti, vel collare exuti Miſſam celebrare præſument.

III. In noſtris Cathedralibus, & Collegiatis in feſtis cum Diacono, & ſubdiacono celebretur. Et in Cathedrali Montisfaliſci Daconi, & Subdiaconi Officio Cappellani alternis vicibus fungantur. Si quis defuerit, tres iulios ſoluet ei, qui ſequens in ordine ſuas vices ſuppleuerit. Corneti autem Diaconi munere viciſſim Canonici fungantur, Subdiaconi vero vel Sacrarij cuſtos, vel aliquis ex Clericis in Sacris conſtitutis, qui per Capitulum retinentur: Idemque Sacrarij cuſtos diebus ferialibus Epiſtolam canere debebit.

IV. Miſſas Conuentuales diebus feſtis à ſolis Canonicis cantari volumus, ſeruata reliquis diebus locorum conſuetudine; deficiente, qui Miſſam huiuſmodi canere debet, ſequens in ordine vices ſupplebit tres iulios à negligente lucraturus.

V. Miſſa pro defunctis extra tempus Paſchale canatur qualibet feria ſecunda non impedita, prima verò die menſis non impedita pro defunctis Sacerdotibus canatur; non tamen ob Miſſam prædictam conuentualis debet omitti, ſicut & in feſtis quadrageſimalibus Miſsa deFeria nunquam eſt omittenda.

VI. Canonici, & Capitulum ad alias Eccleſias celebrandi cauſa collegialiter accedere non audeãt, niſi prius in Cathedrali, vel Collegiata Miſſa conuentuali cantata, & Diuinis Officijs perſolutis.

VII. Diaconi, & Subdiaconi Euangelium, & Epiſ-

Epistolam in Ecclesia respectiuè cantaturi prius in Sacrario legant,& cantent, vt errores,quantum fieri potest, euitent. Acolyti, ceroferarij, cæterique ministri, antequam Sacerdos paretur, prestò sint, vt omnia ordinatim procedant. Quando vero Sacra solemnia per nos fient, tunc Decani, & Archidiaconi respectiuè munus sit, vnicuique proprium officium ad huiusmodi munia ritè,rectèque exequenda præscribere.

VIII. Sacerdos Sacrum facturus recitato prius saltem Matutino cum Laudibus ad Sacrarium accedat, Missam reperiat, diligenter legat, Sacramento confessionis animam abluat, si labem contraxit, idque peragat antequam Sacras vestes induat; quibus indutus neminem alloquatur, sed in contemplatione cælestis Hostiæ, quam immolare intendit, totus sit. Neminem salutet, vel cum ad altare procedit, vel cum ab eo recedit, nisi Episcopum, aut alium maxima aliqua dignitate fulgentem. Inobediens graui pœna punietur.

IX. Celebrantes pileolo non vtantur,nisi Summi Pontificis priuilegio sub pœna suspensionis ipsò facto incurrendæ. Superioris labij barbam ita longam non habeant, vt Sacri Corporis, vel Sanguinis sumptioni impedimento esse possit. Duæ saltem ceræ candelæ donec Sacrum fiat, semper ardeant. Vestes, Calices, patenæ, & reliqua omnia adhibeantur ad rubricæ præscriptum.

X. In admittendis ad Missæ celebrationem Sa-

cerdotibus incognitis, seu peregrinis, litteræ circulares à Sac. Congreg. S.Officij Vrbis nuper editæ ad amussim seruētur, quarum exempla in quolibet Sacrario affigi mandamus sub aurei pœna, vel à Sacrarij Custode, vbi adest, vel ab Ecclesiæ Rectore soluenda.

XI. Nemo secularis, vel regularis Sacerdos in Ecclesijs, vel Oratorijs non approbatis, nec benedictis sacrum facere, vel nemo Parochus ibidem Parochialia munia exercere audeat. Qui non paruerint suspensionis pœna punientur, Regulares verò in Monialium Ecclesijs non celebrabunt, nisi per nos, vel nostros Vicarios generales data facultate, & Monialium Confessarij accedente consensu.

XII. Non celebrentur Missæ, nisi ab aurora ad meridiem, prout Missalis monet rubrica. Feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato sancto Sacrum non fiat, nisi in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & Monialium, in quibus vnica tantùm celebretur Missa, contrafaciētibus suspensionis indicta pœna. Sabbato Sancto campanæ in nostris Ciuitatibus non pulsentur, nisi prius Cathedralium campanis pulsatis. Feria v. in Cæna Domini Clerus Vrbanus in nostris Cathedralibus, Clerus verò Diœcesanus in suis Ecclesijs Parochialibus Corpus Dominicum participet.

XIII. Sacra votiua, vel pro Defunctis ijs diebus, quibus sub ritu duplici recitatur Officium, nullo modo fiant; Missæ de decem Auxiliatoribus, de

Pa-

Patre æterno, ac cæteræ à Sac. Rit. Congregatione interdictæ nullibi celebrentur; neque Missa Sanctissimi Rosarij, vel S. Mariæ Montis Carmeli, nisi à Regularibus illis, quibus speciali Summorum Pontificum priuilegio licet.

XIV. Parochi non sacrificent, nisi hora consueta, & populo magis commoda, nec ob propriam, vel alterius commoditatem tempus anticipare, vel vltra consuetum protrahere liceat, cum id in totius populi præiudicium minimè deceat. In festo Sancti Titularis alicuius Ecclesiæ, eius Rector, vel per se, vel per alium Missæ sacrum ibidem faciat, quamuis ex beneficij erectione non teneatur. Qui supradictis non paruerit, aureum quacumque vice soluet.

XV. Quilibet Sacerdos Hostiam Deo immolet saltem diebus Dominicis, ac alijs solemnioribus festis. Parochi verò, vbi consuetudo quotidiè celebrandi desit, saltem ter in hebdomada, & omnibus diebus festis de præcepto sub poenis nostro arbitrio infligendis; sacrum faciant.

XVI. Nemo egrediatur è Choro, dum diurnæ persoluuntur horæ, vel dum solemni ritu res diuina celebratur, nisi propria, vel Ecclesiæ necessitas id suadeat, & Præfecti Chori facultate accedente; qui secus egerit, punctatura mulctabitur; Episcopo verò Pontificalia exercente nemini in eadem Ecclesia sacrum facere liceat.

XVII. Diebus Dominicis, & alijs festis de præcepto nemini liceat ante Parochum, nisi ab eo-

dem obtenta facultate, Missam celebrare. Aliàs permittentes aurei nummi, celebrantes suspensionis per mensem pœna punientur.

XVIII. Sacrum facere omittens illis diebus, quibus vel ratione beneficij, vel alio quocunque modo, siue titulo celebrare debet, duorum iuliorum pœna pro singulis omissionibus mulctetur, qui in Capsula sacrarij ponantur, vt alter ei, qui negligentis vices gesserit, tradatur, alter verò in Sacrarij beneficium erogetur.

XIX. Vt à tam sancto sacrificio omnis auaritiæ, vel superstitionis labes procul absit, caueant sub grauissimis pœnis Sacerdotes, ne pacta ineant vel simoniaca, quoad æleemosynam, vel superstitiosa quo ad modum, seù numerum candelarum, vel Missarum ab Ecclesiæ ritu, vel consuetudine rationabili non approbatum. Plura stipendia pro vna Missa non recipiant. Si Missæ celebrationem alteri demandent, pro qua stipendium receperunt, integrum ei tradant, nulla pro se portione retenta. Pro Missis, quas celebrare tenentur ratione Cappellæ, Beneficij, Legati, vel Salarij eleemosynas non recipiant. Missas non applicent pro primo, qui eleemosynam est erogaturus, cùm interdicta sit applicatio incerta pro certa stipe. Onera Missarum perpetua absque nostra, vel nostrorum Vicariorum generalium facultate acceptare nemini liceat: qui contrafecerit, si Laicus, vel Clericus sit, ingressum Ecclesiæ ipso facto sibi interdictum esse

sciat,

sciat; si verò fuerint Moniales, voce actiua, & passiua statim priuatæ existant. Ijsdemque pœnis subiacebunt ij, ad quos spectat, qui pecuniam, aut mobilia ob onera perpetua relicta in bonis stabilibus, vel cum nostra facultate in Censibus non collocabunt. Pro quacumque Missa ęleemosyna manualis erit vnius iulij, nisi onus perpetuum fuerit, quo casu in prima fundatione iulios duos monetæ Romanę saltèm pro cuiuslibet Missæ ęleemosyna taxamus.

XX. Sacrificanti ministrantes deuotè, distinctèque verba proferant semper genuflexi, præterquam dum Euangelia leguntur, quo tempore stare debent. Modestè se gerant, oculos non circumferant, honestè induti sint, ac omnia faciant, quæ tantum decent sacrificium.

XXI. Qui sacrificio intersunt, non fabulentur, non rideant, neque assistant velut illi, qui genu tantùm flexo illudebant Christo, de quibus D. Ambros. ait. *Bene illudere ei videntur; nam non animo, non corde, non genibus flexis, sed genu flexo prostrati sunt.* Extra Ecclesiæ fores sacrum audituri non genuflectant. Homines aperto capite, mulieres verò operto intersint. Ad aras propè non accedant, ne sacrificanti impedimento esse possint. Nec ab Ecclesia discedant, nisi postquam Sacrificans in sacrarium rediuerit. Hæc omnia à Christifidelibus diligenter obseruari curent Parochi, Ecclesiarum Rectores, vel sacrario-

rum

rum Custodes; quod si super his aliquis abusus irrepserit, statim nos doceant, vt necessaria possimus adhibere remedia.

CAPVT X.

De horis Canonicis.

1. NON *psallere Deo magna est iactura*, vt ait Simeon Iunior orat. 15. *Anima quippè non psallentis diuino lumine, diuina virtute, & quiete ab insultibus Dæmonum priuatur, & omnis petulantia, omnis immunditia, omnis improbitas, & iniustitia, omnis fastus, ostentatio, arrogantia ab eisdem in eandem inuehitur. Verùm enim verò psallere Deo simpliciter, ac perfunctoriè & sine timore, qui Deo astanti est necessarius, tantùm abest, vt aliquid commodi, vt potiùs incomparabile detrimentum afferat, quia Deum exasperat, & à nobis auertit, nosque ab illo tanquam in exilium eijcit.* Vt igitur horæ Canonicæ ab ijs, quorum interest, & loco, & tempore debito recitentur, præcipimus, vt dato per Campanam signo statutis horis, omnes Canonici, Beneficiati, & Clerici, qui Choro sunt addicti Superpelliceo, Bireto, & respectiuè Almutijs in Sacrario modestè, & sine strepitu induti bini Chorum adeant gradu nec nimis lento, nec nimis festino demissis oculis, & neminem alloquentes; ac si ante Altare Sanctissimi

ſimi Sacramenti tranſire contigerit, genuflectant, & facta Epiſcopo, ſi adſit, & aræ maiori debita reuerentia ſeſe inuicem ſalutantes ſuum Stallum petant, vbi, poſtquam aliquantulum genuflexi orauerint, ſtantes incipiant ſubmiſſa voce, *Pater noſter*, reliqua proſequentes iuxta rubricas.

II. Neſciat Chorus, quid ſint cachinni, deriſiones, locorum mutationes, Epiſtolarum, cœterorumque librorum lectiones, corporis ſitus, vel geſtus immodeſti, flores, chirothecæ, ac reliqua omnia, quæ redolent leuitatem. Si quis tàm ſanctum locum rebus huiuſmodi violare præſumpſerit, præter punctaturas, ſeuerè mulctabitur.

III. Diuina officia, nedum externa oris prolatione, ſed etiam interna mentis applicatione, voce concordi, modeſtè, atque diſtinctè recitentur, itaut nulla interueniat ſyllabarum diminutio, nulla verborum præteritio, nulla verſuum acceleratio, ſed in medio cuiuslibet verſiculi, vbi ſtellula reperitur, breuis pauſa fiat. Omnes ſimul recitent, nemo priuatim, nec voce ſubmiſſa, ſed ſi quis Officijs iam cœptis Chorum adiuerit, iiſdem perſolutis extra Chorum ſupplebit reliqua.

IV. Ante Officij abſolutionem nemo è Choro egrediatur ſub vnius iulij pœna, niſi neceſſitate cogente, & facultate impetrata à Chori Præfecto, cuius ſit diligenter curare, vt noſtra decreta ad amuſſim ſeruentur. Si quid tamen in Choro corrigendum erit, id modeſtè, & ſine ſtrepitu fiat.

Præ-

Præfectum autem Chori in Cathedrali Montis Falisci Decanum, in Cathedrali Corneti Archidiaconum, in Collegiatis Priorem, Archipresbyterum; & Præpositum respectiuè, ac illis deficientibus sequentes in ordine declaramus.

V. Horæ Matutinæ saltem diebus festis infrascriptis integræ canantur, videlicèt nocte Natiuitatis Dominicæ, die sancto Paschatis, & Pentecostes, ac in festo SS. Margaritæ, & Felicitatis nostræ Cathedralis Titularium. Cœteris autem diebus Dominicis, & festis solemnibus *Te Deum* cum reliquis, quæ post Capitulum sequuntur saltem canatur. Officium Beatæ Virginis, & Defunctorum, Psalmi graduales, & pœnitentiales iuxtà Breuiarij Romani rubricas in Choro recitentur. Lectiones recitaturi priùs illas perlegant, vt quilibet etiam minimus error in Choro vitetur. Cum nos Pontificalia exercemus Cantores tantùm volumus in Choro permanere, reliquos autem in suo stallo presbyterij sedere iubemus.

VI. Quolibet die Dominico, ac festo de præcepto Canonici, & Dignitates Vesperas cantent per gyrum. Si quis defecerit, vnius iulij pœna punietur ei, qui vices gesserit, applicanda. Seruetur etiam consuetus mos in cantandis Vesperis, & Missis cum pluuialibus, Diacono, & Subdiacono, quorum munus, quia in nostra Cathedrali Montis Falisci spectat ad Capellanos per gyrum, si quis non impleuerit, tres iulios soluet illi, qui eius vi-

ce

ce ſatisfecerit. In Collegiatis verò ſingulis diebus Dominicis(ſed abſoluta priùs Chriſtiana Catecheſi) & feſtis de præcepto ſaltem Veſperæ canantur.

VII. Nemo vere abſens diſtributiones lucretur, nec ei donari, remitti, aut quolibet alio modo concedi poſſint: qui contra fecerint, ſiue ſinguli, ſiue Capitulum, ſiue illius tantùm pars duplum ſoluent pro Sacrarij ſuppellectile. Abſentes autem declaramus eos: Qui in Matutinis Beatæ Virginis ante finem Capituli, in Matutinis Domini ante finem Pſalmi *Venite exultemus*, in reliquis horis ante finem primi Pſalmi, in Litanijs ante inuocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, in Miſſa ante finem poſtremi *Kyrie eleiſon*, Chorum non adiuerint. Qui ſolẽnioribus feſtis deſiderabuntur,præter punctaturas etiam arbitrarijs punientur pœnis. Si tamen alicui ob neceſſitatem abeſſe contigerit, pœnam non effugiet, niſi noſtra, vel noſtri Vicarij generalis obtenta facultate, & Conſtitutione Cardinalis Zacchiæ cap. 37. præcipuè ſeruata.

VIII. Pro præſentibus,quamuis abſint,habebuntur infraſcripti: Qui cum Capituli conſenſu, & ſi cauſa ſit noua, etiam cum noſtro, ob Eccleſiæ negotia abſuerint, infirmi, qui noſtro iuſſu Sacramenta miniſtrabunt, Decanus, & Archidiaconus reſpectiuè noſtrarum Cathedralium cum actu animarum ſaluti, vel in Cathedrali, vel extra operam nauabunt: Canonicus Coadiutor, dum actu, ſiuè in Eccleſia, ſiuè extra animarum curam exercet.

Canonici pœnitentiarij, dum Confeſſiones excipiunt, qui pſallentibus organis canunt, & qui tandem celebrant Miſſas Capitulares horis ſibi ſtatutis; quod ſi celebrent alijs de cauſis pœnas abſentium non euadent, niſi neceſſitas cum Præfecti Chori conſenſu aliud ſuaſerit.

IX. Caueat Sacrarij Cuſtos, Clericiue, ne, dum ex Eccleſiæ ritu fit fragor in Matutinis tenebrarum maioris Hebdomadæ, ſtrepitus ſit indecens cum fractura ſcamnorum, aut huiuſmodi. Si, dum diuina perſoluuntur officia, interdictus, aut excommunicatus aliquis non tolleratus Eccleſiam adeat, ſtatim ceſſare oportebit, donec ab Eccleſia, vel diſcedat, vel eijciatur, præterquàm ſi in Miſſa Canon iam cœptus eſſet, quo caſu ipſa Miſſa tantùm eſt abſoluenda. Sabbato ſancto nemini liceat in noſtris Ciuitatibus campanas ante Cathedrales pulſare, in Diœceſi verò ante Parochialem Eccleſiam, aliàs centum aureos locis pijs applicandos perſoluent iuxtà pœnam Sacri Lateranenſis Concilij ſub Leone X. ſeſſ. 11.

X. Quoad officia Decani, Archidiaconi, Sacriſtæ, Cœremoniarum Præfecti, Punctatoris, cæterorumque Miniſtrorum, Synodi noſtrorum Anteceſſorum ad vnguem ſeruentur, & præſertim Cardinalis Zacchiæ anno 1622.

CA-

CAPVT. XI.

De Confraternitatibus.

I. ANtiquiſſimi Chriſti fidelium cœtus, quorum D. Luca teſte erat cor vnum, & anima vna, in Confraternitatibus, & Societatibus Laicorum ita fęliciter renouantur, vt dum in Dei nomine congregati Diuinas laudes perſoluunt, & pia opera exercent, Deum eſſe in medio eorum, nemo negare valeat, ſed quia diſcordiarum parens vnitatis, & pacis vincula diſſoluere, ac Societates, & Confraternitates huiuſmodi deſtruere ſemper quærit, Nos quantùm in Domino poſſumus illi contradicentes ad ipſas Confraternitates, & Societates perpetuò ſeruandas ſtatuimus, vt impoſterum earum nulla, niſi per nos liceat, erigatur, & approbatis prius à nobis Capitulis, & Statutis. Nemo in Confraternitates cooptetur, niſi qui à pleriſque Confratrum approbatus fuerit. Qui in aliquo prædictorum noſtris decretis non paruerint, pœnas noſtro luent arbitrio.

II. Noſtræ Diœceſis Confraternitates, & Societates nunquam, niſi præſente Parocho, ſub pœna nullitatis geſtorum, alijſque pœnis congregentur. Parochus autem ſaltem bis, vel ter in anno Confratres ſolemnioribus diebus feſtis congreget, eoſque ad ſtatutorum ſummam obſeruationem

hortetur, quæ per aliquem Confratrum magna voce legi curabit, vnà cum indulgentijs, quas in aliqua peculiari tabella descriptas à singulis Confraternitatibus, seu Societatibus seruari iubemus.

III. Nemo Societatis, aut Confraternitatis veste induatur nisi in propria Ecclesia, in supplicationibus, in funeris exequijs, vel cum impetrata à nobis facultatē fidelium eleemosynas congregare debebit. Ad funus autem prosequendum nullus nisi inuitatus accedat, vel nisi defunctus in illius Confraternitatis, aut Societatis tabulis sex saltem mensibus ante obitum descriptus fuerit, excepta Confraternitate Mortis, quæ ad id præcipuè instituta est, vt defunctorum funera prosequatur. Candelæ tamen nunquam à Confratribus, sed vel ab hæredibus, vel ab illis, quibus huiusmodi munus delegatum est, semper verò sine Parochi præiudicio, distribuantur.

IV. Publicæ supplicationes diuinæ charitatis tantùm refertæ, rixarum, & iurgiorum immunes sint; Qui rixari autem ausus fuerit, si verbis, aureum vnum, si verberibus, aureos sex, si vulneribus, aureos viginti soluet vltra pœnas de iure, vel Consuetudine iuxtà delicti qualitatem infligendas. Si quis verò Confraternitatis vestem armatus induet, quamuis nullo se obstringat delicto, decem aureos soluet.

V. Dum Sacra Solemnia in Cathedrali habentur, vel pueri Catechismum docentur, à Confra-

fraternitatibus in Ciuitate existentibus diuina non persoluantur Officia. In Diœcesis verò Confraternitatibus ante Parochialem Missam diebus festis Sacrum non persoluatur, nisi Parochi consensu accedente, qui necessarius etiam erit in solemnitatibus, & anniuersarijs celebrandis.

VI. In supplicationibus Capellanum superpelliceo indutum Confratres secum ducant: in suis Ecclesijs neminem feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato sancto sacrificare permittant: Candelas, Cineres, & Oliuarum ramos non consecrent, seu benedicant: si secus egerint, vel permiserint, grauissimis pœnis punientur, sub quibus etiam Sacrum Eucharistiæ Sacramentum populo publicè exponere, à nobis facultate non impetrata, prohibemus, & comessationes supplicationum occasione vetamus.

VII. Confraternitatum Ministris sumptus extraordinarios facere non liceat, qui duos aureos excedant, si verò per Confratres congregatos potestas fiat, aureos quinque, per Vicarium autem Foraneum aureos decem impendere licebit, vltra quam summam à nobis, vel nostris Vicarijs generalibus facultatem requirant; si aliter egerint, proprijs pecunijs sumptus fecisse censeantur, nec à Confraternitatibus quidquam repetere valeant.

VIII. Conductores bonorum, vel debitores Confraternitatum, vel Societatum ab earundem ministerio repellantur, & ipsorum electio tanquam

nulla.

nulla habeatur, imò & ab ipso actu eligendi reijci mandamus, cum semper quidquam mali suspicari liceat de eius suffragio, qui ex electione aliquid commodi consequi potest.

IX. Bona stabilia, vel pretiosa mobilia non alienentur, nec vltra triennium stabilia locentur, nisi à Summo Pontifice, vel à nobis in casibus à iure concessis data facultate. Suppellex in Confraternitatum, vel Societatum, non verò in priuatis ædibus retineatur. Si quis non paruerit, trium aureorum dabit pœnam.

X. Pecunia in stabilibus, vel censibus non collocetur, nisi nostra præcesserit facultas: Contractus aliter initos, nullos, & inualidos declaramus. Pecuniam verò à debitoribus restitutam, quæ decem aureos excedat, per Ministros in Sacro Pietatis Monte deponi, nec indè nobis inscijs extrahi posse iubemus: Vtrumque autem à prædictis Montis Ministris gratis fiat.

XI. Pro Confraternitatum, cœterorumque locorum piorum administratione non eligantur facinorosi, infames, publici peccatores, nec qui nostræ fidei præcipua ignorant mysteria. Electio in Diœcesi fiat tantùm præsente Parocho, coram quo Ministri antecessores debeant successoribus reddere rationem intra quindecim dies ab administratione finita sub pœna quinque aureorum ijsdem Confraternitatibus applicandorum. Electio semper secretis suffragijs fiat, secùs facta nulla erit. Sicuti

nulla

nulla etiam erit confirmatio Priorum, & Præsidentium, seu aliorum Officialium pro secundo anno; nisi nostra, vel nostrorum Vicariorum generalium præcesserit facultas. Officialium verò nomina intra mensem à die electionis ad nos deferantur.

CAPVT XII.

De obseruatione Festorum, & ieiunio.

I. DIebus festis ab operibus abstinere ipse Deus suo docuit exemplo, dum sex diebus mundum creans septimo die requieuit ab vniuerso opere, quod patrarat, eodemque nos erudiuit exemplo diuinis tantùm rebus operam dare, cum benedixit diei septimo, & sanctificauit illum. Humani tamen generis hostis Deo aduersans clamare quotidiè non cessat. *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*. Sed ne à Christi fidelibus festorum contemptum obtineat, sicut ab hæreticis abolitionem impetrauit, statuimus, vt omnes hisce diebus à seruilibus abstineant operibus. Nemo iumentis, aut equis clitellas, iuga bobus imponat sub pœna amissionis belluæ: aut emolumento quæsito pondera de loco ad locum transferat sub alijs pecuniarijs pœnis locis pijs applicandis. Pistores tamen, qui panem venalem conficere, & molitores, qui frumenta molere ob publicam necessitatem debent, his legibus non

tenentur, ſicut & illi, qui triticum tempore meſſis, vuam, aut muſtum tempore vindemiæ, & cibaria toto anno ad Ciuitatem deferunt, dummodò ea peragant poſtquam Miſſæ Sacro interfuerint, quo tempore etiam Veterinariis, quos vulgò Mareſcalcos vocant equos, & iumenta calceare licebit, ſi neceſſitas id ſuaſerit, clauſis tamen officinis, & extra publicas vias.

II. Nemini diebus feſtis officinas aperire liceat exceptis illis, in quibus medicamina, vel cibaria venduntur, dummodò ianuæ ſemiapertæ tantùm ſint, & œnopolia, quæ vulgò vocant *Bettole* tempore Supplicationum, Concionum, & inſtructionis Catechiſmi omninò claudātur. Inobedientes trium aureorum pœna qualibet vice mulctabūtur.

III. Libros, imagines, laruas, medicamina, quæ à circulatoribus circumferri ſolent, nemo venalia exponere audeat diebus Deo dicatis, quibus etiam aleis, ſeu taxillis ludere, & choreas ducere prohibemus. Si quis noſtrum neglexerit imperium præter mulctam etiam corporis pœnas luet.

IV. Hiſtriones, mimi, ſcurræ, & huiuſmodi ſibi interdictum eſſe ſciant tabulata, aut equos aſcendere, vel populum quoquo modo congregare, non ſolùm diebus feſtis, ſed etiam ſingulis ſextis feriis, & toto Quadrageſimali tempore: quod ſi noſtris mandatis non paruerint, præter corporis pœnas vigintiquinque aureos locis piis applicandos ſoluent.

V. Mer-

V. Mercaturam, actus iuridicos, executiones in causis ciuilibus, reorum torturam, dummodò non sit ob atrox delictum, instrumenta, & cœteros actus, qui iuramento vallantur, diebus festis prohibemus, præterquam si sint causa pacis, matrimonij, aut publicæ vtilitatis: mercatum priuatum prædictis diebus nullo modo concedimus, sed vel diem festum præcedat, vel subsequatur. Si verò sint publicæ nundinæ, quæ differri nequeant, volumus tamen in eis ante Missam Parochialem nihil emi, aut vendi posse. Qui secùs fecerit pœnas nostro infligendas arbitrio non vitabit.

VI. Si Sancti Titularis, vel Patroni festum celebrabitur, aut Defunctorum anniuersarium recurret, vbi Sacerdotibus conuenientibus in vnum à Parocho, vel Beneficij Rectore mensa paratur, frugalitas à Sanctis Patribus mirum in modo commendata omninò seruetur, & Sacerdotes ità moderatè cibum sumant, vt omnibus palam faciant se tantùm edere, vt viuant, non viuere, vt edant. Sacra colloquia epulis intermisceant: scurrilitates, ebrietates, detractiones in mensa, eaque sublata ludos, & prophana spectacula prorsùs deuitent, nihilque peragant, quod Sacerdotalem non præseferat grauitatem.

VII. Anniuersarium Dedicationis Ecclesiæ, ac dies festus Patroni, vel Sancti titularis solemni ritu celebretur, læto nempè campanarum sonitu, parietum, & altarium ornamentis, ac Missarum

G fre-

frequenti celebratione. Initium festi erit vesperis diei antecedentis, finis verò ad Solis occasum subsequentis diei protrahetur. Sed si contigerit festum Patroni alicuius loci nostræ Diœcesis non esse ex ijs, quæ sub præcepto seruantur, hortari tamen Parochus debet populum, vt deuoto mentis, & corporis obsequio illius Sancti patrocinium impetrare conetur; præmittendo scilicet ieiunium, & à seruilibus operibus abstinendo.

VIII. Nullus, siue puer, siue puella septennio maior, siue Sponsa, siue Vidua, siue famulus, vel famula, quouis prætextu, vel quæsito colore se excusatum velit, quominus diebus festis de præcepto sacro intersit, & vt omnes sciant dies quibus obligantur, Parochorum munus sit inter Missæ Parochialis solemnia die Dominico antecedenti populo denunciare festa illius hebdomadæ; quod idem campanarum sonitu diebus, & horis à locorum consuetudine statutis significabunt: si vero neglexerint tres aureos locis pijs soluent.

IX. Ijsdem pœnis subiacebunt Parochi, qui cum festis etiam ieiunia, indulgentias, stationes, supplicationes, ac exequias, quæ per hebdomadam habebuntur, populo non denunciabunt, modo, tempore, & horis in ieiunijs ab Ecclesia; vel consuetudine legitimè præscriptis. Die Dominico Quinquagesimæ populum doceant de tempore præciso, à quo ieiunium Quadragesimale primordium capit nempè à media nocte postremi

Bac-

Bacchanalium diei, quod etiam campanæ sonitu significabitur. Doceant quoque seruanda esse ieiunia, cum diebus festis de præcepto occurrunt, exceptis Dominicis diebus, quibus ieiunium transfertur in Sabbatum antecedens. Si verò festum Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi occurrat feria sexta, vel Sabbato, Christi fideles ob tanti mysterij celebritatem carnem comedere permittitur, nisi ex voto, vel regulari obseruantia sint adstricti.

X. Ieiunij Quadragesimalis tempore cibi vetiti conceduntur pueris rationis vsu carentibus, & cœteris mala valetudine affectis, qui tamen facultatem à nobis, vel nostris Vicarijs Generalibus petere debent, sed non impetrabunt, nisi de mala valetudine nobis constet testimonio Medicorum, quorum conscientiam super hoc oneramus. Adolescentes, quamuis ante vigesimumprimum annum ieiunij lege non obstringantur, ieiunare tamen parentum solertia paulatim assuescant, vt cum ad ætatem legitimam peruenerint, facilè possint obtemperare præcepto.

XI. Festa siue de præcepto, siue ex deuotione seruanda vt omnibus innotescant, eorum indicem cum suis ieiuniis hic subtexendum curauimus.

IANVARIVS.

1 Festum Circuncisionis Domini. *de præcepto.*
6 Epiphaniæ Domini. *de præcepto.*

17 S. Antonii Abbatis. *ex deuotione.*

20 Sanctorum Fabiani, & Sebastiani. *ex deuotione.*

FEBRVARIVS.

2 Purificationis B.Mariæ Virginis. *de præcepto.*

23 Ieiunium.

24 S. Mathiæ Apostoli. *de præcepto.*

In anno Bissestili ieiunium erit die 24. festum verò die 25. eiusdem mensis.

MARTIVS.

19 S. Ioseph. *de præcepto.*

25 Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis. *de præcepto.*

APRILIS.

25 S. Marci Euangelistæ. *ex deuotione.*

26 Dedicatio Ecclesiæ S.Flauiani. *ex deuotione.*

MAIVS.

1 SS. Philippi, & Iacobi Apostolorum. *de præcepto.*

3 Inuentionis S. Crucis. *de præcepto.*

IVNIVS.

23 Ieiunium.
24 Natiuitatis S.Ioannis Baptistæ. *de præcepto.*
28 Ieiunium.
29 SS.Petri,& Pauli Apostolorum. *de præcepto.*

IVLIVS.

2 Visitationis B.M.V. *ex deuotione.*
20 S. Margaritæ Virginis, & Martyris *de præcepto*, quia Patrona in Monte Falisco.
24 Ieiunium.
25 S.Iacobi Apostoli. *de præcepto.*
26 S. Annæ Matris B.M.V. *de præcepto.*

AVGVSTVS.

8 S. Secundiani *de præcepto* Corneti, quia est Patronus.
9 Ieiunium.
10 S. Laurentij Mart. *de præcepto.*
14 Ieiunium.
15 Assumptionis B.M.V. *de præcepto.*
16 S. Rochi. *ex deuotione.*
24 Ieiunium.
25 S.Bartholomæi Apostoli. *de præcepto.*

SEP-

SEPTEMBER.

8 Natiuitas B.M.V. *de præcepto.*
14 Exaltationis S. Crucis. *ex deuotione.*
20 Ieiunium.
21 S. Matthæi Apostoli, & Euang. *de præcepto.*
29 Dedic. S. Michaelis Archangeli. *de præcepto.*

OCTOBER.

4 S. Francisci Confessoris. *ex deuotione.*
18 S. Lucæ Euangelistæ. *ex deuotione.*
27 Ieiunium.
28 SS. Simonis, & Iudæ. *de præcepto.*
31 Ieiunium.

NOVEMBER.

1 Omnium Sanctorum. *de præcepto.*
2 Commemoratio Fidelium Defunctorum. *ex deuotione.*
4 S. Caroli. *ex deuotione.*
11 S. Martini Episcopi. *ex deuotione.*
14 Translatio S. Margaritæ, & Felicitatis Martyrum. *ex deuotione.*
23 S. Fęlicitatis Martyris. *ex deuotione.*
29 Ieiunium.
30 S. Andreæ Apostoli. *de præcepto.*

DE-

DECEMBER.

8 Conceptionis B.M.V. *ex deuotione*.
13 S.Luciæ Virg. & Mart. *ex deuotione*.
20 Ieiunium.
21 S.Thomæ Apostoli. *de præcepto*.
24 Ieiunium.
25 Natiuitas Domini Nostri Iesu Christi. *de præcepto*.
26 S. Stephani Protomartyris. *de præcepto*.
27 S.Ioannis Euangelistæ. *de præcepto*.
28 SS.Innocentium. *de præcepto*.
31 S.Syluestri Papæ. *de præcepto*.

CAPVT XIII.

De Processionibus, seu Supplicationibus.

I. QVemadmodum Israeliticus populus fortissimas arces Ierico demolitas, murósque euersos tunc solùm aspexit, cum Sacerdotes arcam Domini ferentes, bellatoribus præcedentibus, vulgoque sequête pluries Ciuitatem circumierunt: ita Christi fidelis populus demolitum conspiciet durissimum murum, quem inter se, & Deum sua scelera ædificauerunt, si loca Sacra supplici corde, modesto corpore circumiens pias ad Deum preces effuderit; ne verò medicina vertatur

tatur in venenum, ac Deus in supplicationibus ipsis irritetur; Hortamur omnes quantũ in Domino possumus, vt Psalmos canentes, seu Coronam precariam recitantes ea, qua decet corporis, animique dispositione incedant, veluti, qui suis precibus suorum veniam peccatorum à Deo se sperent impetraturos; quod si oculos circumferant, vel in incessu præsertim mulieribus salutem dicant, aut à risu, lusibus, floribus, chirothecis non abstineant, pro modo culpæ pœnas dabunt. Quoad rixas vero, & arma, quod dictum est supra Cap. XI. num. 4. de Confraternitatibus ad vnguem obseruetur.

II. Clerici habitu talari, bireto, & superpelliceo induti incedant, pileum, palliumque, nisi pluuia cogente non ferant. Confraternitates, dummodò octo saltem Confratres earum vestibus, & insignibus non induantur, in supplicationibus nullo modo admittantur. Si quis Confratrum vim inferre ausus fuerit, & contra nostra decreta incedere voluerit, decem aureis mulctabitur.

III. Die præcedenti, hora, & campana consueta supplicationes indicentur: postero verò die ante supplicationes ad populum conuocandum alterum detur campanis signum, quæ deindè festiuo ritu pulsabuntur, cum supplicantium agmen aliquam ingredietur Ecclesiam, vel ab ea egredietur, vel ante eam transibit. Sed si sclopporum explosione solemnitatem augeri contigerit, sclopi mi-

nimè

nimè explodantur, nisi toto transacto populo, indicta inobedientibus trium aureorum pœna.

IV. Die, quo supplicationes habentur, omnes siuè Sæculares, siuè Regulares, qui eis interesse debent, in Ecclesia consueta congregabuntur vnà cum proprijs Crucibus, ac insignibus ad rubricarum præscriptum hora statuta, quæ in tabella valuis Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis, vel Parochialis affigenda exprimetur. Negligentes pœnas arbitrio nostro luent, quas nec effugient, qui in ijsdem Ecclesijs garriendo, aut ridendo immodestè se gerent.

V. Nemo siue Sæcularis, siue Regularis etiam cuiusuis priuilegij prætextu, nisi nostra priùs facultate impetrata supplicationes indicere, ac multo minùs habere audeat, nisi velit grauissimis pœnis tàm pecuniarijs, quàm corporalibus nostro arbitrio subiacere.

VI. Dum supplicantium agmina, siue per vias, siue per Ecclesias incedunt, mulieres ab hominibus omninò separentur, sed si nocturno tempore supplicationes habeantur, mulieres ab eis penitùs abesse iubemus. Si secùs egerint grauissimas luent pœnas.

VII. Instrumenta musica, spectacula, repræsentationes, mysteria, nisi per nos fiat facultas, à supplicationibus absint: Comessationes ante, vel eodem tempore, vel postquam supplicationes habitæ fuerint, occasione tamen illarum pariter in-

terdicimus: actus etiam quoscumque indecentes, & qui grauitatem simul, & pietatem non redoleant, prorsùs prohibemus, mandantes ijs, quorum intereſt, vt in huiusmodi abusibus tollendis omnem adhibeant diligentiam.

VIII. In Diœcesi nulla supplicatio, nisi præsente Parocho habitu talari, & Superpelliceo induto habeatur, & vbi Clerus adsit, volumus etiam Clericos tam minoribus Ordinibus insignitos, quàm prima tonsura initiatos eodem modo indutos interesse supplicationi, cuius rei Parochus nobis testimonium dare debebit, vt ad alios Ordines promoueri possint.

IX. Si, cum supplicationes habentur, Festum sub præcepto coli non debeat, officinas nihilominus eo tempore clausas esse iubemus: qui secus egerit, pœnas festorum violatoribus impositas subibit.

X. Cùm Sanctissimum Sacramentum in supplicantium agmine defertur, præsertim in Solemnitate Corporis Christi, viæ non modo mundentur, sed pro cuiuscumque facultate decenter ornentur, deletis tamen impudicis imaginibus, &, vt tantum Sacramentum nullo indecenti actu, vel aspectu offendatur, nulla mulier audeat in suæ, vel alterius domus fenestra permanere.

XI. Quoad dies, quibus ex præcepto, vel Consuetudine, siue in Cathedralibus, siue in Diœcesi supplicationes haberi solét, seruetur index positus in Synodo Cardinalis Zacchiæ sub Cap. 13. post n. 15.

CA-

CAPVT XIV.

De funeribus, & sepulturis.

I. DEfunctis parentare, eorumque cadauera sepultura afficere ità apud omnes in vsu fuit, vt nulla ferè natio, quamuis barbara hoc pio more caruerit. Christicolas tamen id maximè decet, qui non sunt sicut cœteri, qui spem non habent, & quorum sancta, & salubris est cogitatio, vt animæ defunctorum à peccatis soluantur: ad effugiendum tamen in actione tam sancta quidquid simoniaca labe, vel Gentilium ritibus infectum videri potest, nihil Parochum pro sepultura capere posse declaramus, nisi quod fidelium pietas, vel antiqua consuetudo concedere solet. Quidquid autem per consuetudinem licet, non vi exigatur, sed contra renuentes opportunis iuris remediis procedatur. Quare, si hac de causa Parochi funus differant, vel sepulturam denegent, præter alias pœnas, carceribus etiam condemnabuntur.

II. Clerici, & Sacerdotes nostrarum Ciuitatum, dum diem obeunt supremum in Cathedralibus Sepulchro condantur, nisi viuentes sepulturam elegerint: si verò fuerint in Diœcesi, in Parochiali Ecclesia sepeliantur, in qua similiter sæcularium cadauera sepultura afficientur, nisi vel viuentes sibi illam elegerint, vel propriam habeant in aliqua

Ecclesia à se, seu suis maioribus constructam. Vbi tamen per immemorabilem consuetudinem licet Confraternitatibus suos Confratres in albo legitimè descriptos in propria Ecclesia sepelire, dummodò de tali consetudine constet, eam seruari mandamus, sed ad coniunctos etiam in primo gradu minimè extendi declaramus.

III. Vbi consuetudo concedat parentibus sepulturam pro filijs impuberibus eligere, sciant huiusmodi electionem minimè valere, nisi facta fuerit in ipsa infirmitate, ex qua filius impubes decessit. Cum verò vel filij impuberes ob electionem à parentibus factam, vel ipsi adulti, siue ob electionem sepulturæ, siue quia sunt alicuius Confraternitatis Confratres, extra Parochiam sepulturæ tradentur, Parochi præter solita emolumenta, pro viatico iulium tantùm vnum capere possint.

IV. In qualibet Ecclesia siue Cathedrali, siue Parochiali sepulturam pro Sacerdotibus, & Clericis à cœteris distinctam esse volumus, sicut distinctam etiam esse iubemus pro ijs, qui baptizati decedunt infantes ante vsum rationis, pro quibus campanæ festiuo sono pulsantur, eorumque cadauera præcedente Cruce sine hasta ad Ecclesiam deferuntur.

V. Ne in electione sepulchri aliqua fraus fiat, volumus eam probari legitimis documentis, vel depositionibus testium fide dignorum, qui nec sint de familia eligentis, nec inseruiant Ecclesiæ, in qua se-

sepulchrum electum fuit. Caueant præterea omnes Ecclesiastici siue Seculares, siue Regulares, ne ab infirmis promissiones exigant, quod in suis Ecclesijs eligant sepulturas, nisi velint excommunicationi latæ sententiæ subiacere, à qua nisi à Summo Romano Pontifice absolui nequibunt. Interrogari tamen poterit ægrotus, vbi sepeliri velit, sed omni suggestione remota, de qua si rumor oriatur, accedente publica fama, alijsque adminiculis per vnicum etiam testem probabitur.

VI. Campanæ in alicuius exequijs duobus tantùm temporibus lugubri sono pulsabuntur, videlicet statim, ac quisque extremum vitæ spiritum ediderit, & cum traditur sepulturæ, qui sonus vltra dimidium horæ nunquam protrahatur. Si verò pro Sacerdotibus id fiat, antequam prima vice ære campano funebre signum edatur, Angelicæ Salutationis signum dari iubemus.

VII. Si quis repentina morte, vel mulier in partu obiuerit, nisi post vigesimam quartam horam, cęteri verò post decimam quintam sepulchro condantur: Nunquam tamen exequiæ nocturno tempore, sed orto iam Sole, & ante illius occasum celebrentur. Si cadauer in Ecclesia seruetur, donec sepulturæ tempus aduenerit, caueant custodes funeris à comessatione, lusibus, collocutionibus, ac alijs actibus, qui Ecclesiam maximè dedecent, sed preces pro defuncto deuotas effundant.

VIII. Confraternitates, & Clerus, siue Secularis,

laris, siue Regularis in funeris prosequutione quæcumque in Synodis antecedentibus statuta sunt ad vnguem seruabunt, & præsertim Sacerdotes, & Clerici seculares superpelliceo, & bireto induti preces pro defuncto effundentes modestè incedant, nec à funere discedant, nisi ipso absoluto sub pœnis nostro arbitrio inferendis. Quo verò ad ceræ diuisionem inter Parochos, Regulares, & Confraternitates, laudabilis locorum consuetudo, ac Summorum Pontificum Constitutiones, & Sacræ Congregationis decreta omninò seruentur.

IX. Curent Parochi ne in funeribus aliquid superstitiosum admittatur, & præsertim ne quidquam etsi minimum auferatur ex vestibus, quibus cadauer sepeliendum est, & quibus superstitiosi solent plurima mala perpetrare. Curent præterea, ne parentes, consanguinei, aut alij funus gemitibus, & clamoribus prosequantur, sed potiùs ad preces pro defuncto adhibendas ipsos hortentur.

X. Si quemquam sepultura indignum mori contigerit, statim Parochus ad Nos, vel nostros Vicarios generales deferat, nec quidquam nobis inconsultis agat, aliter pro modo culpæ pœnas dabit. Id tamen non intelligendum est de infantibus absque baptismate ex hac vita decedentibus, qui semper sepeliri debent extra, sed propè Ecclesiam in loco tamen Belluis, & immunditijs non obnoxio.

CA-

CAPVT XV.

De Sacramentis in genere.

I. ÆTerna, atque Increata Sapientia, cùm domum, nempè Ecclesiam sibi ædificauit, excidit columnas septem, septem scilicet Sacramenta, vt, cum tot fundamentis humana natura nitatur, & totidem gratia Diuinâ conseruetur. Si enim homo natura nascitur ad vitam, & per Baptismum renascitur ad gratiam: per naturam augetur in corpore, & Chrismate confirmatur in fide: cibo nutritur, vt viuat corpus, & Eucharistia vescitur, vt viuat anima: corpus infirmum medicinis, anima verò pœnitentiæ Sacramento sanatur; pristina valetudo diæta, & exercitio restituitur, & extrema vnctione reliquiæ peccatorum remouentur ac homo ad æternam gloriam paratus reperitur: Ad vitam rectè instituendam Sæcularis datur potestas, & ad animas ritè, rectèque regendas, ordinis Sacramento spiritualis potestas traditur: Per matrimonium vti naturalem contractum humana propagatur natura, & vti est Sacramentum, spiritualis etiam vita propagatur: Quamuis autem de cuiusque Sacramenti administratione singillatim agere debeamus, eadem tamen in genere tractando iubemus à Parochis nunquam ministrari, nisi Superpelliceo, & Stola indutis, ac ritu, & forma in Ri-

tuali

tuali Romano præſcriptis ad amuſſim obſeruatis.

II. Sacramenta miniſtraturus caueat, ne lethali obſtringatur culpa, quod ſi obſtrictus ſit, priùs confiteatur, aut Confeſſario deficiente, & neceſſitate vrgente ſaltem conteratur, ne maculis ſuam aſpergat animam, cum alias abluit.

III. Clauis Tabernaculi Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, Fontis baptiſmalis, ac Olei ſacri ſemper apud Parochum, vel eius Cappellaneum Curatum, aut Coadiutorem à Nobis approbatum, ſeruetur. Si ſecus egerint grauiſſimas pœnas ferent.

IV. Qui Sacramenta baptiſmatis, Matrimonij, Viatici, aut Extremæ vnctionis in alterius Parochia abſque proprij Parochi licentia miniſtrabunt, ſi fuerint Regulares excommunicationi *Clement.* 1. *de priuileg.* ſubiacebunt; Seculares verò noſtro punientur arbitrio, quod procedit etiam in Parocho, qui ſuos Subditos habet in aliena Parochia morti proximos, nam eos Sacramentis, ac animæ commendatione munire ſpectat ad Parochum eius Parochiæ, in qua manent, ſi tamen ibidem moriantur, nec domicilium contraxerint, aut illùc animo permanendi non ſe contulerint, proprius Parochus non eſt ſua quarta funerali fraudandus.

V. Parochi ſeduli ſint in Sacramentis miniſtrandis Infirmis, & Senibus, nam ſi ſuâ culpâ abſque Sacramentis ex hac vita decedent, ipſi pœna ſuſpenſionis ab officio, beneficio, ac alijs pœnis gra-

grauissimis pro modo culpæ afficientur. Ne verò tantum malum accidat, Infirmos, Senesque sæpè inuisent, ac si aliqua necessitas Parochos, non longè tamen, abesse coegerit, ipsorum Infirmorum, & Senum domesticis locum significent, vbi commodè reperiri possint; Si autem longè, & extra Parçciam, alium, qui vices geret, nobis probantibus, relinquant.

VI. Nemo ob Sacramentorum administrationem quidquam quamuis minimum petere, aut exigere per se, vel per alios queat siue directè, siue indirectè, quouis prætextu, seu quæsito colore, etiam priuilegij, aut consuetudinis immemorabilis. Quidquid autem titulo eleemosynæ à fidelibus spõte offertur, recipi posse concedimus, dummodò non sit ob Sacramentum pœnitentiæ, in quo etiam spontaneas oblationes interdicimus. Qui secùs fecerit decem aureis qualibet vice locis pijs applicandis mulctabitur.

VII. In admonendis infirmis, vt peccata sua confiteantur obseruent Medici Bullam fel. record. B. Pij V. quam obseruare iurarunt, nam si infirmi Sacramentis orbati eorum negligentia decedant, præter periurij culpam, alijs punientur pœnis.

VIII. Si aliquis è vita proficiscatur, antequam consuetis Ecclesię Sacramentis ad mortem se compareт, Parochus in libro defunctorum describat Sacramenta, quæ recepit, & quæ non recepit, adḍatque causam impotentiæ, vel negligentiæ, eam-

quę in Ciuitatibus intra biduum nostris Vicarijs Generalibus, in Diœcesi intra triduum Vicariis foraneis significet, qui vocatis consanguineis inuestigent, an id culpa Parochi, vel Medici, aut fortuito euenerit, & quamprimùm nos faciant certiores.

IX. Sacramenta ministraturi vasculis decentibus, ac suppellectilibus mundissimis vtantur. Intentionem actualem, aut saltem virtualem, nunquam tantùm habitualem habeant faciendi quidquid Sancta Romana facit Ecclesia. Legant priùs attentè Rituale; materiam certam, & non dubiam adhibeant, præterquàm in Baptismate necessitate cogente, & vbi materia certa haberi non possit, quo casu materiam dubiam sub conditione, *quatenùs valeat* adhibere licebit: Forma verò dubia, vel probabili nemo vnquam vtatur, sed verba substantialia ipsius formæ distinctè, & absque errore pronunciet.

X. Nemo ad Sacramenta suscipienda, aut ad vmbellam in supplicationibus deferendam, vel ad pueros è Sacro Fonte leuandos armatus accedat; Mulieres verò nec ad Sacramenta, nec pro matrinis, nisi velato capite, & habitu modesto admittantur.

XI. Doceant tandem Parochi populum, qua reuerentia prosequenda sint Sacramentalia, veluti Candelæ, Palmæ, ac Cineres sacri, aqua lustralis, aut quid huiusmodi, ostendentes quot, quantaque bene-

beneficia per illa à Deo obtineantur, & quam magnum sacrilegium sit eis ad incantationes, superstitiones, & maleficia abuti, quod præcisè sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & à nobis tantùm absoluendæ, prohibemus.

CAPVT XVI.

De Sacramento Baptismi.

I. QVanta sit Sacramenti baptismatis efficacia, neminem, qui Christi Religionem profitetur, latere potest; breuibus tamen verbis à Sanctissimo Episcopo Nolano perspicuè describitur in his carminibus:

Sanctum patet ecce lauacrum,
Quod renouet vitam, veteresque obliteret actus
Quodque nouos homines faciat.

Ex quo patet quanto cultu hoc Sacramentum ministrari debeat. Nos itaque nostro Pastorali officio satisfacientes iubemus Parochos diligentes esse in extirpandis prauis consuetudinibus, abusibus, seù superstitionibus, quæ in huius Sacramenti administratione, vel temporum iniuria, vel hominum malitia introduci potuerint. Caueant præcipuè ne Laici olea sacra, aquam baptismalem, aut alia huiusmodi tangant, vel secum ferant; ipsi verò Parochi pro baptismo ministrando præter paruam candelam, quæ spontè à fidelibus offertur, nihil ac-

cipiant Innocentij XI. Constitutionem in omnibus obseruantes.

II. Quo ad formam baptisterij, Sacrarij, ac abaci pro sacris Oleis, vasibus, & suppellectili ad baptismum necessaria ea, quæ à nostris prædecessoribus in suis Synodalibus Constitutionibus, & à nobis in pastoralibus visitationibus decreta sunt, omninò obseruentur.

III. Nemo, qui non sit proprius pueri baptizandi Parochus, vel alter, qui sit Sacerdos, & de eiusdem Parochi licentia baptismi Sacramentum ministrare audeat, & si aliqua Ecclesia parœcialis baptismatis fonte careat, dum eius Ecclesię Parochus suos subditos vult baptizare, non potest fontis custos clauem, & cætera necessaria ei denegare, quæ tamen, si non subditum baptizare velit, licitè denegabit.

IV. Caueant Parochi, ne baptizatis eorum nomina imponant, qui in Sanctorum, vel Beatorum albo descripti non sunt. Extra Ecclesiam, vbi baptismatis fons situs est, nunquam nisi necessitatis causa baptizent: Necessitate tamen vrgente semper adstantium dignior domi baptizet, itaut Parochus simplici Sacerdoti, Sacerdos Diacono, Diaconus Subdiacono præferatur, Clericus laico, laicus fœminæ anteponatur.

V. Cum puer baptizandus ad Eccclesiam defertur, interroget diligenter baptizans eos, qui illum deferunt, vtrum domi baptizatus fuerit, quod si bapti-

ptizatus est, caueat ne iterum baptizet, vt irregularitatem non incurrat; sed tantùm cęremonias, & preces omissas in Ecclesia suppleat: si verò sub forma, vel materia dubia baptizatus fuerit, tunc Parochus eum sub hac conditione baptizet. *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

VI. Parochi semper prompti sint ad hoc Sacramentum ministrandum, quoniam si aliquis ob eorum negligentiam absque baptismate ex hac vita decesserit, pœna suspensionis à diuinis nostro arbitrio duratura punientur. Parentes filios saltem intra triduum à die natiuitatis baptizari curent, ac necessitate vrgente omnem adhibeant celeritatem. Negligentes pœnas graues subibunt, quas nec effugient Parochi, qui baptizatos in libro describere ad formam Romani Ritualis negligent.

VII. Ad puerum è sacro fonte leuandnm patrinus, vel matrina, aut patrinus, & matrina tantùm admittantur, quamuis essent affines, vel consanguinei siue ipsius baptizati, siue inter se, dummodò non sit pater, aut mater eius baptizati, qui omninò repelli debent. A quo tamen officio repellantur infideles, hæretici, interdicti, excommunicati, facinorosi, Concubinarij, blasphemi, Mœretrices, infames, publici vsurarij, non confirmati, stulti, muti, pueri ante decimum quartum annum, mysteriorum fidei ignari, & qui eo anno Corpus Dominicum non participauerint: Clerici verò, & Sacerdotes absque nostra expressa licentia nō admittantur.

VIII.

VIII. Moneat Parochus Patrinos, & Matrinas de obligatione, quam contraxerunt, instruendi videlicet pueros, quos è Sacro leuauerunt fonte, mysterijs fidei, cæterisque ad æternam salutem necessarijs, atque de cognatione Spirituali ipsos doceat, quæ inter Patrinos ex vna, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem ex altera parte oritur, necnon inter baptizantem, & baptizatum, eiusque patrem, & matrem, atque extenditur etiam ad eum, qui baptizat in casu necessitatis, dummodò non sit ipsius baptizati pater, aut mater, qui secundum veriorem sententiam cognationem huiusmodi, baptizando in casu necessitatis, minimè contrahunt: huius verò cognationis tanta est vis, vt matrimonium contrahendum impediat, contractum dirimat.

IX. Pueri, puellæque expositæ, de quorum baptismate certè non constat, baptizandi sunt sub conditione, *si non es baptizatus, ego te baptizo*. In ventre matris nullus baptizetur infans, nisi ostendat aliquod membrum, quod ablui possit, quo casu baptizandus est sub conditione, *si es capax &c.* si tamen membrum, quod videtur, est caput, & viuere dignoscitur, illa conditio prætermitti debet. Quando autem baptizatus est cum conditione, & deindè viuus ab vtero matris extrahitur, est iterùm baptizandus sub conditione *si non es baptizatus &c.* Quod si monstrum nascatur sub forma dubia, baptizandum est sub conditione, *si es capax*.

Si verò sit homo, sed plura habeat capita, vel corpora, ex quibus plures habere animas ostendat, omnia sunt baptizanda: at si formæ sint dubiæ, caput priùs tanquam certum baptizari debet, & deindè reliquæ formæ sub eadem conditione, *si es capax*.

X. Illis, quibus baptismalis fontis cura commissa est, diligenter singulis mensibus obseruent, ne aliqua sorde polluatur, ipsumque quolibet anno renouent Sabbato sancto iuxtà Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum, grauissimas, si neglexerint, pœnas laturi: olea sacra pariter quotannis renouent, quod si, postquam noua consecrata fuerint, veteribus negligenter vtantur, præter culpam lethalem, qua tenebuntur, decem aureos locis pijs applicãdos soluent: vt autem improbi homines Sacris oleis ad sacrilegia, & veneficia vti nequeant, Parochi nonnisi Sacerdotes integerrimæ vitæ, ac probatissimorum morum pro nouis oleis capiendis ad Cathedralem mittant Ecclesiam. Caueant quoque, ne seculares loca inuncta, vel abluta baptizati gossipio, siue linteo abstergant, eaque secum asportent, sed omnia ab ipso baptizante ad vsum sacrum seruentur: quæ verò ampliùs adhiberi non possunt, comburantur, & cineres proijciantur in piscinam. Volumus etiam, quemcumque Parochum linteola habere candida ob illam cæremoniam, quæ in Rituali habetur, scilicèt: *Accipe vestem candidam*.

XI. Nul-

XI. Nulla mulier obstetricis artem exercere possit, nisi priùs examinata fuerit à Parocho, qui illam esse idoneam testificatus fuerit. Parochi tamen diligenter intendant ad docendum non modò Obstetrices, sed populum vniuersum, in casu necessitatis quemcumque baptizandi facultatem habere, seruato tamen ordine superiùs descripto. Formam baptismi esse verba illa: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quocumque idiomate prolata, dummodò proferantur eodem tempore, quo fit ablutio, itaut ipsa ablutio, & verborum prolatio vnum moraliter faciant. Materiam verò baptismi doceant non esse aquam factitiam, seu stillatitiam, nec ius, aut quodcumque liquidum, sed aquam elementariam, siue calidam, siue frigidam, non tamen glaciatam, nisi calore ignis, vel manuum ea quantitas dissolui possit, quæ proiecta super caput infantis propriè ablutio dici possit.

XII. Declaramus tandem nemini licere nouos baptismatis fontes ædificare, nisi priùs à nobis facultate impetrata. Qui secùs egerit, ædificium destruet, ac quinquaginta aureos locis pijs soluet. Vbi autem fontes huiusmodi constructi sunt, cum singulis annis Sabbato sancto noua aqua consecranda erit, omnes, qui de iure, vel consuetudine tenentur, ad consecrationem cum Parocho conuenire, ipsique decenter, reuerenterque assistere sub trium aureorum pœna iubemus.

CAPVT XVII.

De Sacramento Confirmationis.

I. QVoniam cuicumque Christi fideli necessarium est, quod de seipso testatur Apostolus, vt quando factus est vir, euacuet, quæ erant paruuli, idque Sacramento Confirmationis præcipuè assequamur, vt expresse declarat S. Pontifex Melchiades in epistola ad Hispanos Episcopos, dicens: *Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur*. Propterea nos animarum à Deo nobis commissarum tantò bono, tantique Sacramenti reuerentiæ consulere cupientes, volumus, Parochos locorum, vbi per nos Sacramentum Confirmationis conferendum est, id populo significare; huius Sacramenti dignitatem, & fructus vberrimos exponentes, quos è catechismi Romani fonte poterunt largissimè haurire.

II. Quia Patrini, & Matrinæ in hoc Sacramento eandem, quam in baptismo, spiritualem contrahunt cognationem, eadem etiam regula seruari debet, hac tamen distinctione, quod pro quo-

libet masculo Patrinus vnus, pro fœmina Matrina tantùm vna adhibeatur. Non sint idem, qui fuerunt in baptismate, nec Pater, Mater, Maritus, aut Vxor, confirmati. Vnus, vel ad summum duo eodem die, ab eodem Patrino, vel Matrina suscipiantur, qui maiores ætate sint ipsis confirmatis, nisi confirmandus esset ætate prouectus, qui ex impotentia, vel negligentia priùs confirmari nequiuit; si verò confirmandus sit puer, Patrinum, vel Matrinam decimum quartum saltem annum excedere iubemus.

III. Ab hoc Sacramento arceantur publici peccatores, excommunicati, interdicti, amentes, atque infideles. Minores septennio tanquam rationis expertes, & qui saltem prima fidei rudimenta non callent, non admittantur. Requiritur etiam ad huius Sacramenti gratiam consequendam, quod confirmandi sint confessi, vel saltem contriti, si culpa læthali teneantur. Cum autem hoc Sacramentum imprimat characterem, nefandissimo se alligabit sacrilegio, qui illud conferre, vel suscipere iteratò audebit.

IV. Cum Confirmationis Sacramentum ministratur, fœminæ à viris in Ecclesiæ seiunctæ permaneant. A collocutionibus, clamoribus, vociferationibus omninò se abstineant: Deum pro confirmandis incessanter orent: Confirmatorum inuncta frons à Sacerdotibus assistentibus gossipio abstergatur, quod posteà comburi debet, vt eius cine-

res

res proijciantur in piscinam. Deindè locus inunctus vitta alba munda alligetur, quæ pariter comburenda est, cum Sacra vnctio exaruerit.

V. Confirmatorum nomina à Parocho illius Parochiæ, vbi confirmantur, diligenter describantur, quorum exemplum ad nostram Cancellariam Episcopalem quamprimùm transmittant, vt in libro generali à Cancellario notentur,

VI. Confirmati, & Confirmatæ, eorumque Patrini, & Matrinæ ab Ecclesia discedere non audeant, nisi functione perfectè absoluta, &postquam Populo benè precati erimus.

CAPVT XVIII.

De Sacramento Eucharistia.

I. INter cætera beneficia, quæ diuinissimus rerum Opifex Christi fidelibus elargitus est, principem locum obtinet Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, de quo iure quidem merito Sanctissimus vir Petrus Blesensis ait: *Magnum hoc est Sacramentum supra omnem æstimationem, supra omnem intelligentiam, supra omnem eminentiam, in quo est salus Mundi, pretium seculi, pretium impretiabile -- Voce itaque humana explicari non potest, cum quanta deuotione confici, cum quanta cautela dispensari, cum quanta reuerentia suscipi debet*. Vt igitur Summus honor in

eo asseruando, summa diligentia in distribuendo, ac summa puritas in recipiendo adhibeatur: iubemus ipsum augustissimum Sacramentum in tabernaculo ad formam Synodi Cardinalis Zacchiæ *cap.* 18. *num.* 1. constructo conseruari, prohibentes, ne in ipso, vel sub ipso, vel circa ipsum abacus adsit, quamuis pro conseruandis rebus in huius Sacramenti ministratione necessarijs constructus esset. Clauis verò Tabernaculi, quæ vel debet esse argentea, vel ferrea, sed aurata, ex qua sericus floccus pendere debet, nunquam laicorum manibus concedatur. Qui secùs fecerit trium aureorum pœnam, aliasque nostro arbitrio soluet.

II. Pixidem capacem iuxta Subditorum numerum, vel argenteam intus tantùm, vel cupream intus, forisque inauratam Parochi in Tabernaculo conseruent, vnà cum Conopæo magno pro Tabernaculo, paruo verò pro pixide, sed vtrumque vel sit coloris albi, vel tempori consentanei, nunquam tamen nigri. Habeant præstereà Parochi paruam pixidem argenteam inauratam, qua serica crumena inclusa, & Sacerdotis collo suspensa Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministratur infirmis ab Ecclesia longè distantibus: Neque careant tabernaculo gestatorio, siuè ostensorio, quo Sacratissima Eucharistia vel Populo adoranda cum Hostia maioin ara exponitur, vel in supplicationibus circumfertur. Ostensorium autem huiusmodi sit iuxtà formam à consuetudine probatam, nec no-

ua,

ua, nisi nobis annuentibus, introducatur.

III. In Tabernaculo, vbi Sanctissimum Sacramentum asseruatur, Corporale mundum expansum permaneat, ac ante ipsum Tabernaculum lampas expensis vel Parochi, vel publicis, vel Societatis, iuxta laudabilem locorum consuetudinem die, nocteque colluceat. Negligentes aureum qualibet vice persoluent.

IV. Sacramentum (nisi cum populo adorandum exponi, vel in supplicationibus circumferri debet) non in hostijs magnis, sed in particulis asseruetur in pixide, quæ saltem sint quinque, vt semper populi deuotioni satisfieri possit, & ne corruptioni sint obnoxiæ, æstiuo tẽpore singulis octauis diebus, hyemali verò duodecimo quoque die veteribus consumptis à Parochis renouentur, qui si ob negligentiam ipsarum corruptionem permittant, viginti quinque aureis prima vice, ac deindè carceribus, alijsque pœnis punientur.

V. Cùm Sanctissimum Eucharistię Sacramentum in supplicationibus, vel ad infirmos intra nostras Ciuitates circumferri contigerit, sub vmbella serica, quam baldachinum vocant, à Sacerdote superpelliceo, stola, & pluuiali vnà cum velo induto, ac Psalmos, aliasq; preces recitante, circumferri iubemus: quando verò extra Ciuitatem ad infirmos defertur, sub vmbella coriacea, vel alia, quę à pluuia defendere possit, à Sacerdote superpelliceo, stola, ac velo induto deferatur accensis semper lu-

mi-

minibus, quæ ne à vento extingui queant, laterna maiori claudantur. Quod si vna tantùm sit laterna, & cœtera lumina extincta sint, cum Parochus domum peruenerit, saltem quatuor accendi volumus, vt Sacramentum Eucharistiæ decenter ministretur. Antequam autem ab Ecclesia extrahatur, campanæ maioris signum detur, sed cum per vias circumfertur, campanulæ sonitu minister aliquis indesinenter ad eum adorandum populum inuitet, cui, vt faciliùs concurrat centum dies indulgentiæ qualibet vice impertimur.

VI. Nemo ad infirmos diuinissimum hoc Sacramentum absque solemnitate absconditum sub pallio deferat, cum iam id à Sacra Congregatione Concilij sub fel. record. Innocentij XI. prohibitum sit: qui secùs fecerit, pœna arbitrarij carceris, ac centum aureorum damnabitur.

VII. Nisi via sit longa, & ardua, Parochus viaticum ad infirmos delaturus plures in pixide ferat hostiolas, seu particulas consecratas, vt infirmo cœlesti mensa refecto populus, qui deduxit, iterum sanctissimum Sacramentum ad Ecclesiam reducere possit. Si verò via sit ardua, Parochus tot particulas deferat, quot infirmis Eucharistiam præbere debet, vt cum ipsis Dominicum Corpus participauerit, extinctis luminibus, ac sacris vestibus ibidem exutus domum suam priuatim, modestèque redeat.

VIII. Vrgente necessitate infirmis etiam non

ieiu-

ieiunis nocturno quoque tempore Christi Corpus per modum viatici Parochus poterit impertire, dummodò ex vomitu, vel phrenesi, aut aliquo alio impedimento non sint incapaces; si verò lucidis, vt vocant, laborent interuallis; eo tempore, quo sui compotes sunt, poterunt Sacramentum Communionis obire. Quocumque tamen modo sint impediti, nunquam Sacramentum sub specie vini præbere licebit, vel sub specie panis ad ipsos deferre, vt eum tantùm adorent. Qui non paruerit, grauissimis afficietur pœnis.

IX. Sacerdos, qui Sacrum facere non potest, vult tamen Corpus Dominicum participare, saltem stola indutus ad mensam accedere debet. Qui ad infirmos Sacrum deferunt Viaticum sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ caueant, ne ad non subditos deferant.

X. Vbi in Ecclesia Sanctissimum Christi Corpus fidelibus impertitur, vasculum, quod purificationis dicitur, habeatur, vbi purificatis Sacerdotis digitis ipsa purificatio communicatis bibenda tradatur, quam si nemo biberit, proijciatur in piscinam. Ante altare Sanctissimi Sacramenti adsit mensa lignea lineis operta linteis, ante quam communicandi genuflectant, & dum Sacramentum ministratur, saltem duæ candelæ cum cereo funali ardeant: sed si pixis super altare exposita ob populi commoditatem permaneret, vt in Paschate contingere solet, quatuor semper candelæ colluceant, si verò Sanctissimum Sacramentum

in ostensorio publicè exponeretur, tunc duodecim saltem candelas ardere iubemus.

XI. Sacerdos sacrum faciens, si postquam dominicum corpus participauerit, vult alteri præbere, id faciat, antequam sumat purificationem, vt si fragmenta super patenam remaneant, ieiunus sumere possit; Si verò extra Missam Eucharistiam præbet, semper Superpelliceo, & Stola indutus id agat.

XII. Vt omnis Simoniacæ labis, vel auaritiæ suspicio vitetur, nemo audeat à communicatis, vel communicandis, siue capsula, siue crumena, siue alio instrumento eleemosiynam petere, sub pœna vnius aurei qualibet vice soluendi.

XIII. Tam Hostiæ, quam Particulæ ex tritici simila mundissima, ac intrito azimo constent. Instrumentum; quod particulas in orbem circumsecat non sit angustius Romano nummo, quem iulium vocant. Caueant præterea Sacrarij Custodes, ne particulas fractas, neue fragmenta in Pixide ponant, nisi graui subiacere velint animaduersioni, ob id itaque cribrum, quo fragmenta incernuntur; in quolibet Sacrario seruari iubemus.

XIV. Dominica tertia quadragenarij ieiunij Parochi quot annis populo denuncient obligationem, qua omnes vtriusque sexus Christi fideles obstringuntur, participandi Corpus Dominicum in Paschæ solemnibus; Interea verò Parœciæ pueros exquirant, qui iàm mente vtuntur, & sensibus, eosque interrogent ad dignoscendum, vtrum Domi-

mi-

minici Corporis sint capaces; quod si capacitate non caruerint, eos diligenter instruant, vt cœlesti mensa refici posśint, neminem permittentes post decimum quartum annum huius diuinissimi cibi inædia affici, nisi aliqua obstet impotentia, quæ nobis per Parochos constare debet, quia si fuerint in his negligentes, seuerissimis punientur pœnis, quas neque effugient, si pueros ad Cœlestem mensam admittant, nec priùs fidei mysterijs, ac ijs, quæ scitu necessaria sunt, illos instruant.

XV. Cum tempus Paschale aduenerit (declarantes hoc tempus intelligi à die Dominico Palmarum, vsque ad Dominicum in albis) Parochi diligenter describant nomina eorum, qui cœlesti dape reficiuntur; quod si aliqui perditionis filij ab hac mensa abstinebunt, Parochi sub vnius aurei pœna intra quindecim dies ad Nos deferant, vt post trinam monitionem eos à fidelium communione disiungere posśimus, absolutione dilata, donec Ecclesiæ præcepto paruerint.

XVI. Ecclesiæ præcepto non satisfaciunt, qui Corpus Dominicum extra Parçciam participauerint. Regulares itaque sciant sibi interdictum esse in Paschatis solemnijs Corpus dominicum fidelibus præbere, nisi illis, qui cum proprij Parochi facultate ad eos accedunt, quibus tamen huius rei testimonium reddent, vt ipsos Parochus in communicatorum albo describere posśit: Vel si fortè

Regulares Paræciam haberent; tunc fidelibus suæ Parœciæ, prout cœteri Parochi, Corpus Dominicum poterunt impertire.

XVII. Qui tempore Paschali extra Paræciam moram traxerint, si eo elapso in Paræciam redierint, statim ad proprium Parochum Communionis testimonium deferant, vt in albo notentur; si secùs fecerint, vti contumaces punientur. Peregrini si Paschali tempore in nostra Diœcesi reperientur, in ea Parochia, in qua consistent, cœlesti dape reficiantur, si verò fuerint in nostris Ciuitatibus, in Cathedrali tantùm Corpus Dominicum participabunt.

XVIII. Parochi semper prompti sint ad hoc Sacramentum ministrandum cuicumque petenti, & quoties petierit, nisi aliqua legitima exceptione repelli debeat; nam si eos in hoc negligentes esse constabit pro modo culpæ pœnas dabunt. Vt autem populi commoditati consulamus, volumus per Sacrariorum Custodes in nostris Cathedralibus Parochum, aut alium Sacerdotem admoneri, quoties aliqui fideles expectant, vt Christi Corpus petentibus præbeat.

XIX. Quia Sacramentum hoc summa pietate, præcipuoque cultu venerandum est, cum sit panis Angelorum non tradendus canibus; Parochi diligenter doceant fideles; qua animæ puritate, quo spiritus feruore, qua corporis dispositione ad hanc mensam accedere oporteat. Homines, quantum

tum fieri poteſt, à mulieribus ſecernantur. Omnes modeſtè, demiſſis oculis, ieiunio naturali à media nocte ſeruato, genibus flexis, ac tota mente ad Deum intenta ad Sacramentum accedant: dum ſumunt, à ſuſpirijs abſtineant, ne ipſorum vi particulam aliquam è ſacra patina euolare contingat. Poſtquam ſumpſerint, ad collocutiones non redeant, nec ſtatim ab Eccleſia diſcedant, neque oculos circumferant, ſed ipſis demiſsis gratias Deo agentes ſeriò meditentur magnitudinem beneficij, quod acceperunt.

XX. A ſacra menſa tanquam canes indigni arceantur interdicti, excommunicati, Mœretrices, Concubinarij, publici vſurarij, blaſphemi, Sacrilegi, cœterique publici peccatores, de quorum publica pœnitentia non conſtat. Amentes, qui ſui compotes non ſunt, ac mulieres illæ, quæ brachijs, pectoreque aperto habitu immodeſto potius exutæ, quam indutæ apparent, à Dominici Corporis participatione pariter arceantur.

XXI. Semel ſaltem in anno in Eccleſiis Cathedralibus, & Parochialibus Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum populo adorandum quadraginta horarum ſpatio exponatur, diurno tamen, non nocturno tempore, cui Sacerdotes, & Clerici ſuperpelliceo induti alternatim bini aſsiſtant; quibus deficientibus Confratres Societatis Santiſsimi Sacramenti eiuſdem Societatis veſtibus induti bini pariter ſubeant. Nulla expoſitio extraordinaria

in quacunque Ecclesia etiam Regularium nisi nobis annuentibus fiat. Occasione tempestatis imminentis nemo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad benedicendum aeri extra Ecclesiam ferat, sed potiùs apertis tabernaculi foribus, luminibusque accensis cum populo prostratus preces effundat.

XXII. In Ecclesiis, vbi Sanctissimi Sacramenti Societas nondum instituta est, quamprimum instituatur; idque Parochorum diligentiæ committimus. Postquam verò instituta fuerit, eius Confratres Sanctissimum Sacramentum Societatis vestibus induti, quoties opus fuerit, comitentur omnia, quæ ad eius cultum, venerationemque pertinent, subministrantes. Supplicationes habeant ipsum Sanctissimum Sacramentum circumferentes singulis tertijs cuiuslibet mensis Dominicis, die festo Corporis Christi, & die ipsius octauo.

XXIII. Nulli liceat Sanctissimum Sacramentū in tabernaculo asseruare, nisi in Ecclesijs Cathedralibus, Parochialibus, Regularium, & Monialium, non obstante quacunque consuetudine, priuilegio, vel quæsito colore. Qui secùs fecerint, grauissimè mulctabuntur.

XXIV. Omnibus tandem Parochis expressè prohibemus, ne audeant nobis inscijs indicem alicui præbere eorum, qui mensæ cœlestis capaces, quiue incapaces sunt. Si non paruerint, aureum qualibet vice locis pijs soluent.

CA-

CAPVT XIX.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. SIcut nullum maius infortunium in hac vita mortali ferri poteſt, quam diuinam amittere gratiam, ita nulla maior fęlicitas, quam Sacramento pœnitentiæ eam poſſe recuperare, quo quiſquam quamuis multis ſceleribus implicatus, velut agnus innocens euadere poteſt. Quare D. Ioannes Chryſoſtomus exclamat. *O pœnitentia quid de te noui referam? omnia ligata tu ſoluis, omnia ſoluta reſeras, omnia aduerſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas, omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas.* Non ceſſat tamen humani generis hoſtis ſemper abuſuum ſuperſeminare zizania; vt igitur ea colligamus, & in faſciculos ad comburendum alligemus, triticum verò congregemus in horreum, omnes, qui ratione vtuntur, eccleſiaſtico præcepto annuæ Confeſſionis obedire iubemus. Quod ſi ſuæ ſalutis ita immemores ſint, vt vix ſemel in anno peccata confiteantur, id ſaltem peragant quadragenarij ieiunij tempore prope Paſcha, quo & præceptum annuæ Communionis obligat, non tamen quaſi ex conſuetudine pœnitentiæ Sacramentum obeant, ſed vt Deum prius ſibi aduerſum, deinde propitium habeant: ac proindè meminerint præter confeſſionem

nem requiri dolorem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, & ſpe veniæ, atque etiam pœnam à Confeſſario iniunctam quam primum ſoluere.

II. Vt omni tempore animi noxas Confeſſione abſtergere liceat, volumus Parochos, ac alios, ad quos confeſſiones excipere ſpectat, Superpelliceo, ac Stola indutos in Pœnitentiario, quod Sedem confeſſionalem vocant, & diebus Dominicis, & feſtiuis ſaltèm horæ ſpatio ſedere, quamuis nullus adeſſet pœnitentiæ Sacramentum obiturus. In hebdomada verò maiori, ac diebus octo ante Domini Natiuitatem ab Eccleſia non multùm abſcedant, vt ſingulis horis pateat cuicumque aditus ad pœnitentiam. Qui ſecus fecerit, vnius aurei pœna mulctabitur; qui autem requiſiti confeſſiones excipere recuſauerint, tres aureos qualibet vice ſoluent, niſi legitimo impedimento ſe detentos fuiſſe probauerint. Infirmos, ac Mulieres partui proximas diligenter moneant, vt hoc ſalutari Sacramento ad extrema pericula obeunda ſe muniant.

III. In Parochialibus duæ ſaltèm Sedes confeſſionales, in Cathedralibus quatuor exiſtant. Crates ferreas, vel ligneas habeant, quarum foramina ita parua ſint, vt nec auricularem cuiuſuis paruæ manus digitum capere poſsint. In anteriori parte repagulis muniantur, vt Confeſſarii genua, ſiue à viris, ſiue à fœminis opprimi minimè poſſint. In locis Eccleſiæ patulis non occultis, non

in

in angulis, non in Sacellis statuantur. Caueantque Confessarij, ne mulierum confessiones extra crates confessionariæ sedis excipiant sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. Excipe casus malæ valetudinis, quos hoc decreto non comprehendimus. Tabellæ excommunicationum Bullæ in Cœna Domini, & casuum reseruatorum lateribus interioribus sedium huiusmodi hinc inde affigantur.

IV. Moneant Confessarij suos pœnitentes, vt decenter, ac modestè, genibusque flexis ad pœnitentiæ Sacramentum accedant, & signo Crucis se signent. Si eos non nouerint, de statu, qualitate, ac professione interrogent: Quampridem sint confessi, an aliquod peccatum obliti sint, vel ob erubescentiam reticuerint, vtrum distinctè numerum, & species peccatorum expresserint, an conscientiæ latebras excusserint, vtrum impositam pœnam, seu pœnitentiam impleuerint, Confessarij ab eis diligenter perquirant. Curent interrogando, vt confessionis integritati consulant, sed absque animarum detrimento, ne, cum saniem à vulnere extrahere putant, eam, quam non habet, introducant. Caueant à superfluis, & curiosis interrogationibus præsertim in materia luxuriæ, nam si non pareant, acerrimè punientur, quamuis delictum duobus tantùm testibus singularibus, sed fide dignis probetur:

V. Ne pœnitentes ob verecundiam peccatum

tum aliquod reticeant, Confessarij nunquam eos reprehendant, nisi confessione absoluta; qua peracta peccati grauitatem sedulò ostendant, remedia pro morborum varietate varia præbeant, luxuriosis ieiunium, auaris eleemosynam, superbis orationem, omnibus verò Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ deuotam frequentiam suadendo. Caueant ne pro grauissimis delictis leuissimas iniungant satisfactiones, debent enim (vt Sacri Concilij Tridentini verbis vtamur) quantum Spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum,& pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere,nō tamen tales, vt sacro sigillo vim inferre possint, veluti si eas actiones imperent, ex quibus suspicio haberi possit, pœnitentem grauia perpetrasse delicta. Si eleemosynas, aut Missarum celebrationem aliquando iniungant, nunquam Confessarij pecunias illas recipiant, quod si fecerint aurei pœna qualibet vice mulctabuntur. Quapropter quamcumque capsulam,aut crumenam ob eleemosynas recipiendas prope confessionariam sedem retineri prohibemus. Cùm verò Dominorum incertorum pecuniam locis pijs restitui contigerit, nolumus à Confessarijs propria auctoritate distribui, sed tacito restituentis nomine illam ad nos deferant, vt iuxta locorum piorum indigentiam nostro arbitrio distribuatur. Si verò non paruerint, sciant distributionem esse inualidam, & se ad restitutio-

tionem ex proprijs facultatibus teneri.

VI. Peccatores quoscumque indifferenter minimè absoluant, nam aliquando, veluti recidiuis, absolutionem differre, aliquando, veluti indignis, denegare necesse est. Indigni verò præter excommunicatos, interdictos, suspensos, aut reseruatis criminibus alligatos, sunt etiam, qui, peccatum, vel proximam peccandi occasionem relinquere nolunt, qui cùm possint restituere, tamen negligenter, vel dedita opera procrastinant, & qui dolore ad tantũ Sacramentũ suscipiendũ necessario carent. A casibus autem nobis, vel Sedi Apostolicæ reseruatis nemo Regularium cuiusuis priuilegij prætextu, nisi à nobis, vel Apostolica Sede respectiuè impetrata facultate, absoluere audeat, aliter grauissimis pœnis subiacebit.

VII. Si quis morbo correptus fuerit, curent consanguinei, vt intra triduum confiteatur. Medici cum prima vice febre, aut alio morbo graui laborantes inuisunt ad Pœnitentiæ Sacramentum hortentur, quod si ægroti non paruerint; post tertiam visitationem derelinquant, memores Bullæ fel. record. Pij V., quæ incipit *Super gregem*: nisi tamen Parochus iustis de causis confessionem differre censeret. Morbo verò grauescente, ac ægro in vitæ discrimine cõstituto Medici non dedignentur in scriptis id Ecclesiæ Parochiali significare, vt Parochus, quod suum est, exequatur, & populus pro ægro preces ad Deum effundat. Si fortè Re-

M gula-

gularis aliquis infirmi confeſſionem exciperet, teſtificationem apud ipſum relinquat, vt Parochus poſſit tutò reliqua Sacramenta miniſtrare.

VIII. Nemo Secularis, vel Regularis quocumque prætextu, vel priuilegio in noſtris Cathedralibus, & Diœceſi peccatorum, ſiuè lethalium, ſiuè venalium confeſſiones auſcultare audeat ſub pœna excommunicationis nobis reſeruatæ ipſo facto incurrendæ, niſi priùs per nos examinatus, & approbatus fuerit. Sub eadem pœna confeſſiones excipere interdicimus ei, qui beneficium Paræciale iam dimiſit, niſi præuio nouo examine, & approbatione. Qui abſentes per epiſtolas abſoluet, excommunicationem ipſo facto incurret Romano Pontifici reſeruatam iuxtà decretum Supremi Tribunalis S. Officij coram fel. rec. Clementis VIII. Habentes copulam carnalem cum Confeſſario, vel committentes delictum, ſcilicet peccatum mortale cum eiuſdem Confeſſarii aſſociatione, vel participatione, ab eodem abſolui prohibemus; quod ſi abſoluerit, præter nullitatem abſolutionis tàm ipſe, quàm complices caſum reſeruatum incurrent.

IX. Nullus ad confeſſiones audiendas approbatus hoc munus ineat, niſi priùs fidei profeſſione emiſſa. Parochi neminem in ſuis Paræciis confeſſiones excipere permittant, quamuis proprius illius Paræciæ Concionator eſſet, niſi priùs noſtras approbationis litteras oſtenderit. Confeſſiones in alienis Paræciis auſcultare nemini, quamuis ap-

pro-

probato fas sit, nisi à proprio Parocho, vel à nobis facultate impetrata. Ad Monialium confessiones audiendas expressa requiritur facultas, itaut Confessario vnius Monasterii confessiones alterius excipere nec etiam liceat, imò & in Ecclesiis Monialium confessiones secularium audire omninò prohibemus. Approbati tamen ad Monialium confessiones poterunt in aliis Ecclesijs seculares audire.

X. Triplex Sacramenti Pœnitentiæ secretum, quod à Theologis sigillum appellatur, naturale videlicèt, Diuinum, & Ecclesiasticum si quis Confessariorum violare ausus fuerit verbis, aut signis, dictis, aut factis, etiam ob maximum malum euitandum, vel maximum bonum adipiscendum præter gradus Sacerdotalis priuationem, ac perpetuum carcerem iuxtà Sacrorum Canonum decreta acrioribus pœnis nostro arbitrio punietur.

XI. Vt horrendo sollicitationis sceleri totis viribus occurramus, iubemus quoscumque Sacerdotes, siue Seculares, siue Regulares, qui personas cuiuscumque gradus, aut conditionis ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis confessionis, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu huiusmodi confessionis, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in Sede confessionaria, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiuntur, seù ad confes-

sionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel procurare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, aut tradiderint chartam ad turpia sollicitantem posteà legendam, à sollicitato, vel sollicitata ad nostrum, vel S. Officij Tribunal statim denunciari, quod si non denunciauerint excommunicationem in edicto S. Officij, quod quotannis legitur, contentam incurrent à Supremo S. Officij Tribunali tantummodò absoluendam. Confessarij, qui pœnitentes ab alijs sollicitatos audiuerint, moneant de obligatione denunciandi, & de excommunicatione incurrenda, quod si facere negligant, eosque imprudenter absoluant, in excommunicationem nobis reseruatam ipso facto incident. Rei verò huius nefandi criminis iuxta Bullam Gregorij XV. punientur, & tanquã de hæresi suspecti executionis ordinum suspensione, benefitiorum, dignitatum, & cuiuslibet officij priuatione, & ad beneficia noua obtinenda inhabiles, ac voce passiua (actiuaque priuati, si sint Regulares exilio) triremibus, aut perpetuò carcere damnabuntur.

XII. Quicumque facultatem absoluendi à reseruatis habent, confessiones dimidiatas non excipiant absoluendo tantummodò à reseruatis dimittendo pœnitentes pro reliquis ad alios Confessarios; id enim tanquam illicitum fieri omninò prohibemus. Vt autem humanæ fragilitati morem

gera-

geramus, ne peccatores ob inopiam eorum, qui facultatem habent, confessiones diutiùs differre cogantur, omnes Parochos à reseruatis illis, qui in tabella stellulæ nota signantur, absoluere posse decernimus, reliqui verò siue Seculares, siue Regulares, quibus facultas specialiter à nobis delegata non est, à reseruatis absoluere non audeant, quibuscumque priuilegijs, aut consuetudinibus in contrarium non obstantibus, nam si de eorum inobedientia constiterit, grauissimas pœnas non effugient, sed vt nemo reseruatorum casuum ignorantiam allegare possit, eorundem tabellam hic supponimus.

Casus Reseruati in Ciuitatibus Montis Falisci, & Corneti, ac in tota Diœcesi.

I. Dæmonis expressa adoratio, aut inuocatio, Sacramentorum, aut Sacramentalium, vel rerum sacrarum abusus ad veneficia, superstitiones, aut alias magicas artes.

II. Hæreticalis blasphemia.

III. Superstitiosæ incantationes ad sanitatem recuperandam, quæ obseruantiæ sanitatum dicuntur.

IV. Procurantes abortum, aut cooperantes ex industria, etiam effectu non secuto.

V. Ho-

V. Homicidium voluntarium, etiam quoad auxiliantes, mandantes, & consulentes.

VI. Falsificantes, seù alterantes scripturas in præiudicium alicuius, nec non deponentes in iudicio falsum testimonium.

VII. Notarij, seù alij, qui rogati fuerint, & non reuelant relicta ad pias causas, vel Curiæ Episcopali, vel ijs, qui habent interesse infra mensem à die obitus disponentis.

VIII. Non satisfacientes legatis pijs infra sex menses à die ortæ obligationis.

IX. Mittentes Superioribus epistolas, seù preces tacito, vel ementito nomine, quas vulgo vocant: *Lettere, ò Memoriali ciechi*, continentes calumnias, imposturas, seù falsa delicta contra aliquem.

X. Administratores locorum piorum, non reddentes rationes suæ administrationis intra duos menses ab administratione finita.

XI. Verba lasciua proferentes coràm Monialibus, vel turpiter cum eis loquentes.

* XII. Detinentes secum infantes in lecto sine arcula, antequam annum compleuerint, reseruatum incurrant. Si verò suffocauerint, incurrant etiam excommunicationem Episcopo reseruatam. *Huius tantùm casus prima pars, nempè quoad detinentes continetur sub Stellula.*

* XIII. Incestus cum consanguinea, vel affine vsque ad secundum gradum inclusiuè, iuxtà Ius

Ca-

Canonicum computandum, & cum coniunctis spirituali cognatione.

* XIV. Bestialitas, Sodomia etiam cum fœmina, Stuprum violentum, Lenocinium viri in vxorem, Parentum in filias, & Fratrum in sorores.

XV. Habentes copulam carnalem cum Confessario, vel committentes delictum, idest peccatum mortale cum eiusdem Confessarij associatione, vel participatione ab eodem non possint absolui.

CAPVT XXI.

De Extrema Vnctione.

I. NVllum magis anceps prælium inter Dœmones, hominemque committitur, quam extremum; dum homo in vitæ discrimine constitutus, acerbissimis affectus doloribus, desperatis occupatus morbis, ac morti vicinus ab humani generis hostibus vehementissimè oppugnatur. *Descendit* (vt habetur in Apocalypsi) *Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet*; vt autem Dominus Noster Iesus Christus tanto periculo occurrat, Extremæ vnctionis Sacramentum instituit, quo fidelibus arma, & vires subministrentur, quibus aduersarij vim, & impetum infringere, & illi fortiter repugnare possint. Parochi igitur in hoc Sacramento ægris ministrando diligentes sint &

quam-

quamuis ministrari debeat tantùm in articulo mortis constitutis, articuli tamen verbum non ità strictè intelligi debet, vt nullam habeat latitudinem; non enim omnium sensuum destitutio est expectanda, sed, quando fieri potest, cùm in ægroto mens adhuc integra, & ratio viget, Sacro Oleo est liniendus; Si verò tempus non desit, semper extremæ vnctioni præmittenda sunt Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta, sed quando aliquis repentino correptus morbo statim sensibus caret, si aliqua priùs dederit pœnitentiæ signa, vel ostenderit se desiderio piè moriendi flagrare, aut ipsum religiosè vixisse Parocho constat, poterit Sacro Oleo sub conditione, si est capax, liniri.

II. Si Parochus timeat ne morbus sit ita perniciosus, vt ad redeundum pro sacro Oleo tempus desit, poterit illud eodem tempore cum Eucharistia ad infirmum deferre. Cùm verò illum alterius vitæ confinio propè admotum animaduerterit nequaquam deserat, sed dolentem consoletur, orantem adiuuet, nutantem confirmet, eiusque animam pijs precibus in Romano Rituali contentis Deo commendet, donec naturæ satisfaciat. Quod si Parochus aliquibus distentus negocijs assistere nequibit, alium pium Sacerdotem ad id muneris suo loco substituat, nam aliter suæ negligentiæ grauissimas dabit pœnas.

III. Oleum infirmorum sicut & illud Chrismatis quotannis renouetur, quo renouato si Parochi

veteri

veteri vtantur, sciant se lethali culpa obstrictos: Si vereantur, vt nouum toto anno sufficere nequeat, oleum benedictum, quod tamen multo minus sit oleo sacro, superaddant, at si neque oleum benedictum haberi nequeat, etiam non benedictum superaddi potest. Vt ad infirmos absque periculo effusionis deferatur, ponatur in gossipio intra vasculum stanneum, vel argenteum, quod parua theca lignea inclusum in crumena sericea à Sacerdotis collo pendeat, nunquam tamen in femoralium crumenis deferatur, nec domi seruetur, sed tantum in armario Ecclesiæ clauibus obserato, hac epigraphe superaddita. *OLEVM INFIRMORVM*

IV. Sacrum oleum à Parochis, Religiosis, & Ecclesijs Monialium seruari debet: in ægroti domo nunquam relinquatur, nec absque Superpelliceo, & Stola ministretur. Si longum, atque arduum sit iter, itaut cum Superpelliceo confici nequeat, statim ac Parochus ægri domum peruenerit, Superpelliceum, & Stolam induat. Nemo Sacramentum hoc ministret, præterquam Parochus suis Subditis, Superior suis Regularibus, ac Confessarius suis Monialibus: Nam si Regulares in alienis Paræcijs absque proprij Parochi licentia Sacramentum hoc ministrare ausi fuerint, sciant se excommunicationem latæ sententiæ Summo reseruatam Pontifici incurrisse.

V. Sacramentum hoc non modo ministrari debet ægrotis, vel lethaliter vulneratis, sed etiam

nem requiri dolorem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cæterò, & ſpe veniæ, atque etiam pœnam à Confeſſario iniunctam quam primum ſoluere.

II. Vt omni tempore animi noxas Confeſſione abſtergere liceat, volumus Parochos, ac alios, ad quos confeſſiones excipere ſpectat, Superpelliceo, ac Stola indutos in Pœnitentiario, quod Sedem confeſſionalem vocant, & diebus Dominicis, & feſtiuis ſaltèm horæ ſpatio ſedere, quamuis nullus adeſſet pœnitentiæ Sacramentum obiturus. In hebdomada verò maiori, ac diebus octo ante Domini Natiuitatem ab Eccleſia non multùm abſcedant, vt ſingulis horis pateat cuicumque aditus ad pœnitentiam. Qui ſecus fecerit, vnius aurei pœna mulctabitur; qui autem requiſiti confeſſiones excipere recuſauerint, tres aureos qualibet vice ſoluent, niſi legitimo impedimento ſe detentos fuiſſe probauerint. Infirmos, ac Mulieres partui proximas diligenter moneant, vt hoc ſalutari Sacramento ad extrema pericula obeunda ſe muniant.

III. In Parochialibus duæ ſaltèm Sedes confeſſionales, in Cathedralibus quatuor exiſtant. Crates ferreas, vel ligneas habeant, quarum foramina ita parua ſint, vt nec auricularem cuiuſuis paruæ manus digitum capere poſsint. In anteriori parte repagulis muniantur, vt Confeſſarii genua, ſiue à viris, ſiue à fœminis opprimi minimè poſſint. In locis Eccleſiæ patulis non occultis, non

in

in angulis, non in Sacellis ſtatuantur. Caueantque Confeſſarij, ne mulierum confeſsiones extra crates confeſsionariæ ſedis excipiant ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ. Excipe caſus malæ valetudinis, quos hoc decreto non comprehendimus. Tabellæ excommunicationum Bullæ in Cœna Domini, & caſuum reſeruatorum lateribus interioribus ſedium huiuſmodi hinc inde affigantur.

IV. Moneant Confeſſarij ſuos pœnitentes, vt decenter, ac modeſtè, genibuſque flexis ad pœnitentiæ Sacramentum accedant, & ſigno Crucis ſe ſignent. Si eos non nouerint, de ſtatu, qualitate, ac profeſsione interrogent: Quampridem ſint confeſsi, an aliquod peccatum obliti ſint, vel ob erubeſcentiam reticuerint, vtrum diſtinctè numerum, & ſpecies peccatorum expreſſerint, an conſcientiæ latebras excuſſerint, vtrum impoſitam pœnam, ſeu pœnitentiam impleuerint, Confeſſarij ab eis diligenter perquirant. Curent interrogando, vt confeſsionis integritati conſulant, ſed abſque animarum detrimento, ne, cum ſaniem à vulnere extrahere putant, eam, quam non habet, introducant. Caueant à ſuperfluis, & curioſis interrogationibus præſertim in materia luxuriæ, nam ſi non pareant, acerrimè punientur, quamuis delictum duobus tantùm teſtibus ſingularibus, ſed fide dignis probetur:

V. Ne pœnitentes ob verecundiam peccatum

tum aliquod reticeant, Confessarij nunquam eos reprehendant, nisi confessione absoluta, quæ peracta peccati grauitatem sedulò ostendant, remedia pro morborum varietate varia præbeant, luxuriosis ieiunium, auaris eleemosynam, superbis orationem, omnibus verò Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ deuotam frequentiam suadendo. Caueant ne pro grauissimis delictis leuissimas iniungant satisfactiones, debent enim (vt Sacri Concilij Tridentini verbis vtamur) quantum Spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum,& pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere,nō tamen tales, vt sacro sigillo vim inferre possint, veluti si eas actiones imperent, ex quibus suspicio haberi possit, pœnitentem grauia perpetrasse delicta. Si eleemosynas, aut Missarum celebrationem aliquando iniungant, nunquam Confessarij pecunias illas recipiant, quod si fecerint aurei pœna qualibet vice mulctabuntur. Quapropter quamcumque capsulam,aut crumenam ob eleemosynas recipiendas prope confessionariam sedem retineri prohibemus. Cùm verò Dominorum incertorum pecuniam locis pijs restitui contigerit, nolumus à Confessarijs propria auctoritate distribui, sed tacito restituentis nomine illam ad nos deferant, vt iuxta locorum piorum indigentiam nostro arbitrio distribuatur. Si verò non paruerint, sciant distributionem esse inualidam, & se ad restitutio-

tionem ex proprijs facultatibus teneri.

VI. Peccatores quoscumque indifferenter minimè absoluant, nam aliquando, veluti recidiuis, absolutionem differre, aliquando, veluti indignis, denegare necesse est. Indigni verò præter excommunicatos, interdictos, suspensos, aut reseruatis criminibus alligatos, sunt etiam, qui, peccatum, vel proximam peccandi occasionem relinquere nolunt, qui cùm possint restituere, tamen negligenter, vel dedita opera procrastinant, & qui dolore ad tantũ Sacramentũ suscipiendũ necessario carent. A casibus autem nobis, vel Sedi Apostolicæ reseruatis nemo Regularium cuiusuis priuilegij prætextu, nisi à nobis, vel Apostolica Sede respectiuè impetrata facultate, absoluere audeat, aliter grauissimis pœnis subiacebit.

VII. Si quis morbo correptus fuerit, curent consanguinei, vt intra triduum confiteatur. Medici cum prima vice febre, aut alio morbo graui laborantes inuisunt ad Pœnitentiæ Sacramentum hortentur, quod si ægroti non paruerint; post tertiam visitationem derelinquant, memores Bullæ fel. record. Pij V., quæ incipit *Super gregem*: nisi tamen Parochus iustis de causis confessionem differre censeret. Morbo verò grauescente, ac ægro in vitæ discrimine cõstituto Medici non dedignentur in scriptis id Ecclesiæ Parochiali significare, vt Parochus, quod suum est, exequatur, & populus pro ægro preces ad Deum effundat.. Si fortè Re-

gularis aliquis infirmi confessionem exciperet; testificationem apud ipsum relinquat, vt Parochus possit tutò reliqua Sacramenta ministrare.

VIII. Nemo Secularis, vel Regularis quocumque prætextu, vel priuilegio in nostris Cathedralibus, & Diœcesi peccatorum, siuè lethalium, siuè venalium confessiones auscultare audeat sub pœna excommunicationis nobis reseruatæ ipso facto incurrendæ, nisi priùs per nos examinatus, & approbatus fuerit. Sub eadem pœna confessiones excipere interdicimus ei, qui beneficium Paræciale iam dimisit, nisi præuio nouo examine, & approbatione. Qui absentes per epistolas absoluet, excommunicationem ipso facto incurret Romano Pontifici reseruatam iuxtà decretum Supremi Tribunalis S. Officij coram fel. rec. Clementis VIII. Habentes copulam carnalem cum Confessario, vel committentes delictum, scilicet peccatum mortale cum eiusdem Confessarii associatione, vel participatione, ab eodem absolui prohibemus; quod si absoluerit, præter nullitatem absolutionis tàm ipse, quàm complices casum reseruatum incurrent.

IX. Nullus ad confessiones audiendas approbatus hoc munus ineat, nisi priùs fidei professione emissa. Parochi neminem in suis Paræciis confessiones excipere permittant, quamuis proprius illius Paræciæ Concionator esset, nisi priùs nostras approbationis litteras ostenderit. Confessiones in alienis Paræciis auscultare nemini, quamuis ap-

pro-

probato fas sit, nisi à proprio Parocho, vel à nobis facultate impetrata. Ad Monialium confessiones audiendas expressa requiritur facultas, itaut Confessario vnius Monasterii confessiones alterius excipere nec etiam liceat, imò & in Ecclesiis Monialium confessiones secularium audire omninò prohibemus. Approbati tamen ad Monialium confessiones poterunt in aliis Ecclesijs seculares audire.

X. Triplex Sacramenti Pœnitentiæ secretum, quod à Theologis sigillum appellatur, naturale videlicèt, Diuinum, & Ecclesiasticum si quis Confessariorum violare ausus fuerit verbis, aut signis, dictis, aut factis, etiam ob maximum malum euitandum, vel maximum bonum adipiscendum præter gradus Sacerdotalis priuationem, ac perpetuum carcerem iuxtà Sacrorum Canonum decreta acrioribus pœnis nostro arbitrio punietur.

XI. Vt horrendo sollicitationis sceleri totis viribus occurramus, iubemus quoscumque Sacerdotes, siue Seculares, siue Regulares, qui personas cuiuscumque gradus, aut conditionis ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis confessionis, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu huiusmodi confessionis, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in Sede confessionaria, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiuntur, seù ad confessio-

ſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel procurare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, aut tradiderint chartam ad turpia ſollicitantem poſteà legendam, à ſollicitato, vel ſollicitata ad noſtrum, vel S. Officij Tribunal ſtatim denunciari, quod ſi non denunciauerint excommunicationem in edicto S. Officij, quod quotannis legitur, contentam incurrent à Supremo S. Officij Tribunali tantummodò abſoluendam. Confeſſarij, qui pœnitentes ab alijs ſollicitatos audiuerint, moneant de obligatione denunciandi, & de excommunicatione incurrenda; quod ſi facere negligant, eoſque imprudenter abſoluant, in excommunicationem nobis reſeruatam ipſo facto incident. Rei verò huius nefandi criminis iuxta Bullam Gregorij XV. punientur, & tanquã de hæreſi ſuſpecti executionis ordinum ſuſpenſione, beneficiorum, dignitatum, & cuiuslibet officij priuatione, & ad beneficia noua obtinenda inhabiles, ac voce paſsiua (actiuaque priuati, ſi ſint Regulares exilio) triremibus, aut perpetuò carcere damnabuntur.

XII. Quicumque facultatem abſoluendi à reſeruatis habent, confeſsiones dimidiatas non excipiant abſoluendo tantummodò à reſeruatis dimittendo pœnitentes pro reliquis ad alios Confeſſarios; id enim tanquam illicitum fieri omninò prohibemus. Vt autem humanæ fragilitati morem

gera-

geramus, ne peccatores ob inopiam eorum, qui facultatem habent, confessiones diutiùs differre cogantur, omnes Parochos à reseruatis illis, qui in tabella stellulæ nota signantur, absoluere posse decernimus, reliqui verò siue Seculares, siue Regulares, quibus facultas specialiter à nobis delegata non est, à reseruatis absoluere non audeant, quibuscumque priuilegijs, aut consuetudinibus in contrarium non obstantibus, nam si de eorum inobedientia constiterit, grauissimas pœnas non effugient, sed vt nemo reseruatorum casuum ignorantiam allegare possit, eorundem tabellam hic supponimus.

Casus Reseruati in Ciuitatibus Montis Falisci, & Corneti, ac in tota Diœcesi.

I. Dæmonis expressa adoratiô, aut inuocatio, Sacramentorum, aut Sacramentalium, vel rerum sacrarum abusus ad veneficia, superstitiones, aut alias magicas artes.

II. Hæreticalis blasphemia.

III. Superstitiosæ incantationes ad sanitatem recuperandam, quæ obseruantiæ sanitatum dicuntur.

IV. Procurantes abortum, aut cooperantes ex industria, etiam effectu non secuto.

V. Ho-

V. Homicidium voluntarium, etiam quoad auxiliantes, mandantes, & consulentes.

VI. Falsificantes, seù alterantes scripturas in præiudicium alicuius, nec non deponentes in iudicio falsum testimonium.

VII. Notarij, seù alij, qui rogati fuerint, & non reuelant relicta ad pias causas, vel Curiæ Episcopali, vel ijs, qui habent interesse infra mensem à die obitus disponentis.

VIII. Non satisfacientes legatis pijs infra sex menses à die ortæ obligationis.

IX. Mittentes Superioribus epistolas, seù preces tacito, vel ementito nomine, quas vulgo vocant: *Lettere, ò Memoriali ciechi*, continentes calumnias, imposturas, seù falsa delicta contra aliquem.

X. Administratores locorum piorum, non reddentes rationes suæ administrationis intra duos menses ab administratione finita.

XI. Verba lasciua proferentes coram Monialibus, vel turpiter cum eis loquentes.

✱ XII. Detinentes secum infantes in lecto sine arcula, antequam annum compleuerint, reseruatum incurrant. Si verò suffocauerint, incurrant etiam excommunicationem Episcopo reseruatam. *Huius tantùm casus prima pars, nempè quoad detinentes continetur sub Stellula.*

✱ XIII. Incestus cum consanguinea, vel affine vsque ad secundum gradum inclusiuè, iuxtà Ius

Ca-

Canonicum computandum, & cum coniunctis spirituali cognatione.

* XIV. Bestialitas, Sodomia etiam cum fœmina, Stuprum violentum, Lenocinium viri in vxorem, Parentum in filias, & Fratrum in sorores.

XV. Habentes copulam carnalem cum Confessario, vel committentes delictum, idest peccatum mortale cum eiusdem Confessarij associatione, vel participatione ab eodem non possint absolui.

CAPVT XXI.

De Extrema Vnctione.

I. NVllum magis anceps prælium inter Dœmones, hominemque committitur, quam extremum; dum homo in vitæ discrimine constitutus, acerbissimis affectus doloribus, desperatis occupatus morbis, ac morti vicinus ab humani generis hostibus vehementissimè oppugnatur. *Descendit* (vt habetur in Apocalypsi) *Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet*; vt autem Dominus Noster Iesus Christus tanto periculo occurrat, Extremæ vnctionis Sacramentum instituit, quo fidelibus arma, & vires subministrentur, quibus aduersarij vim, & impetum infringere, & illi fortiter repugnare possint. Parochi igitur in hoc Sacramento ægris ministrando diligentes sint &

quam-

veteri vtantur, sciant se lethali culpa obstrictos: Si vereantur, vt nouum toto anno sufficere nequeat, oleum benedictum, quod tamen multo minus sit oleo sacro, superaddant, at si neque oleum benedictum haberi nequeat, etiam non benedictum superaddi potest. Vt ad infirmos absque periculo effusionis deferatur, ponatur in gossipio intra vasculum stanneum, vel argenteum, quod parua theca lignea inclusum in crumena sericea à Sacerdotis collo pendeat, nunquam tamen in femoralium crumenis deferatur, nec domi seruetur, sed tantum in armario Ecclesiæ clauibus obserato, hac epigraphe superaddita. *OLEVM INFIRMORVM*

IV. Sacrum oleum à Parochis, Religiosis, & Ecclesijs Monialium seruari debet: in ægroti domo nunquam relinquatur, nec absque Superpelliceo, & Stola ministretur. Si longum, atque arduum sit iter, itaut cum Superpelliceo confici nequeat, statim ac Parochus ægri domum peruenerit, Superpelliceum, & Stolam induat. Nemo Sacramentum hoc ministret, præterquam Parochus suis Subditis, Superior suis Regularibus, ac Confessarius suis Monialibus: Nam si Regulares in alienis Paræcijs absque proprij Parochi licentia Sacramentum hoc ministrare ausi fuerint, sciant se excommunicationem latæ sententiæ Summo reseruatam Pontifici incurrisse.

V. Sacramentum hoc non modo ministrari debet ægrotis, vel lethaliter vulneratis, sed etiam

Senibus illis decrepitis, qui senio confecti in diem deficiunt. Ægroti, qui phrenesi, vel amentia laborant, si periculum adsit irreuerentiæ, non inunguntur. Excommunicatis, nondum baptizatis, impœnitentibus, qui culpa lethali obstricti ex hac vita decedunt, prælium inituris, aut nauigationem, peregrinationem, vel alia pericula subituris, ac reis vltimo afficiendis supplicio, & pueris rationis vsu carentibus Sacramentum hoc denegatur. In eadem infirmitate non est iterandum; Sed si ægrotus postquam periculum euasit iterùm in vitę discrimen incidat, denuò liniri potest.

VI. Curent Parochi, vt falsam euellant opinionem, quã plebs habet de hoc Sacramento, quod nempè mortem acceleret, quo timore perterriti multi ab ipso abstinent. Doceant igitur Parochi populum Sacramentum hoc non modò ad salutem animæ, sed etiam corporis, cum animæ conducit, a Christo Domino esse institutum.

VII. Pro Sacramento huiusmodi ministrando quidquam etiam minimum à Sacerdotibus recipi prohibemus, sed in omnibus Bullam fel. record. Innocentij XI. seruari decernimus.

CAPVT XXII.

De Sacramento Ordinis.

I. TAnta est Sacerdotalis dignitatis potentia, tantaque auctoritas, vt nullum Regnum, nullaue Monarchia cum ea comparari possit Diuo Ambrosio teste, qui de dignitate Sacerdotali sic ait: *Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippè cum videas Regum colla, & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris orationibus eorum credunt se muniri, &c.* Verùm quia, qui dignitatibus sublimioribus decorantur faciliùs feruntur in præceps, nisi per meritorum gradus ascenderint, & nisi veluti magna luminaria absque defectu effulgeant, cum D. Hieronymus clamet: *Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina si peccant.* Ideò decernimus, nemini nostræ Diœcesis testimoniales litteras, quas dimissorias vocant, concedendas esse, vt ab aliis Episcopis initietur, nisi priùs de causa, ac cæteris, quæ requiruntur, legitimè constiterit, necnon ipso priùs diligenter examinato. Cum autem ab alio Ordinario initiatus fuerit, litteras testimoniales ordinis suscepti intra mensem ad nos mittat. Si non paruerit, suspensionis pœna arbitrio nostro

punietur. Si alienæ Diœcesis Clerici ordines à nobis petant, sui Ordinarij testimoniales litteras exhibeant, quæ non ante tres menses signatæ sint, Regulares verò suorum Superiorum litteras non ante duos menses signatas habeant; vetustioribus nulla fides habebitur. Qui vltra montes fuerint suas litteras nullius roboris fore sciant, nisi Eminentissimi Cardinalis Vicarii signo muniantur addita facultate, vt extra Vrbem ab Ordinario quocumque initiari possint. Si quis fraudulenter absque litteris supradictis, vel ante legitimam ætatem ordines obtinuerit, sit ipso iure suspensus, ac si ordines exercuerit, irregularis erit, aliisque grauissimis pœnis erit obnoxius.

II. Prima tonsura initiandi saltem ante mensem coram nobis se sistant, vt eorum capacitatem, voluntatem, vocationem, ac propositum explorare possimus, cum autem recto esse animo reperti fuerint, ac spem maioris progressus, tam circa pietatem, quàm circa scientiam præseferant, tunc, vt initientur, legere, & scribere sciant, Christianæ fidei rudimenta calleant, & Baptismi, Confirmationis, vitæ, morum, ac frequentiæ ludi litterarij testificationes exhibeant.

III. Ab ordinibus excludantur hæretici, infideles, homicidæ, facinorosi, milites, infames, actu de aliquo crimine apud Iudicem postulati, bigami, quamuis vidui, coniugati, publici pœnitentes, stulti, illegitimi, energumeni, mendici,

excom-

excommunicati, interdicti, ac omnes illi, qui quocumque modo irregularitatem contraxerunt.

IV. Ad aliquem ordinem promouendi ordinis suscepti dimissorias exhibeant; Scholam, catechismum, ac pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta se frequentasse, necnon Ecclesiæ, cui sunt adscripti, seruiuisse doceant. Ad maiores ordines promouendi nos ante mensem adeant, vt Parochis denuntiationes mandare possimus, quas absque nostro speciali mandato sub trium aureorum pœna facere non audebunt, quibus peractis inter Missæ Parochialis solemnia tribus diebus festis, relationes secretò ad Nos mittant; deindè ordinandi ætatis legitimæ, habitus, & tonsuræ, interstitiorum, exercitij ordinis, Ecclesiæ seruitij, vitæ, morum, studiorumque progressus testimonium præbeant.

V. Dum examini se subijciunt, ea, quæ ad ordinis suscipiendi administrationem requiruntur, optimè se callere ostendant; nec quisquam ad Subdiaconatus ordinem promouebitur, qui Canonicarum horarum ritus, regulas, & præcepta nesciuerit. Sacerdotes initiati primam Diuinæ Maiestati hostiam immolare non audeant, nisi per nos, vel nostrum Vicarium Generalem potestas fiat, quæ nulli concedetur, si priùs à Cæremoniarum Præfecto, vel alio à nobis deputato suæ habilitatis testimonium non habuerit. Quoniam Subdiaconatus ordine initiati mittunt manus suas

ad

ad aratrum, itaut non ampliùs retro respicere possint, nec cum dignitatis dedecore mendicare debent: Ideo nullum ad Subdiaconatus ordinem promoueri volumus, qui beneficium ad congruè, decenterque viuendum sufficiens non possideat, vel si ob necessitatem, aut vtilitatem Ecclesiæ ad titulum patrimonij promoueatur, iubemus ipsum patrimonium annuatim reddere fructus valoris quadraginta nummorum, quos Itali, *scudi*, Latini *centusses* vocant. Ne verò aliqua fraus in patrimoniorum contractibus adesse possit, & ne instrumenta clausularum defectu laborent, à Nostro Episcopali Tabulario, seu Cancellario stipulari iubemus, constito priùs per eum, qui constituit patrimonium, & per duos viros fide dignos medio iureiurando ipsum patrimonium non esse fictum, nec alteri concessum, donatum, aut pignori datum & accedente ipsius ordinandi promissione iuramento firmata, se nunquam dimissurum patrimonium præfatum, nisi ab Episcopo facultate impetrata, quæ non concedetur, dum non constet ordinatum possidere sufficiens beneficium, quod supradictum fructum ferat. Contractus diuersè initos præfatis solemnitatibus non seruatis inualidos, ac nullius penitùs roboris declaramus iuramento, & clausulis quibuscumque non obstantibus. Contrahentes verò seuerissimis pœnis punientur.

VI. Ad beneficij titulum promoti beneficium ipsum resignare, aut permutare non audeant, nisi

cum

cum Episcopi expressa facultate, quæ nemini dabitur, nisi ostenderit, se aliud beneficium, vel patrimonium eiusdem, siuè maioris valoris possidere, vel cum altero æquali permutare, & enunciauerit beneficium, quod resignare, siue permutare vult, esse titulum, ad quem fuit promotus, vel esse in locum tituli subrogatum. Si verò quisquam his non probatis, & respectiuè enunciatis facultatem dolo extorserit, contractum irritum, & inane, ac se suspensionis pęnam ipso facto incurrisse sciat.

VII. Prima tonsura initiatos in nostris Ciuitatibus Ecclesiæ Cathedrali, in Diœcesi verò Ecclesiæ Matrici adscriptos declaramus. Sint itaque ad suum munus exequendum diligentes: Diebus Dominicis, & Festis Capite tonso, habitu congruenti, ac superpelliceo induti sacrificantibus ministrent, Diuinis Officijs assistant, in Catechismo puerorum Parochum adiuuent, ac sui ordinis ministeria sedulò exerceant. Si quis, facultate à nobis non impetrata suam relinquat Ecclesiam, suspensionis pœna mulctabitur. Parochi quoque, qui de Clericorum seruitio, vita, ac moribus testimonium nobis dabunt, si ipsorum negligentiæ, ac ignauiæ conniuentes mendacijs, aut fraude vtantur non leuibus pœnis nostro arbitrio mulctabuntur.

CA-

CAPVT XXIII.

De Sacramento Matrimonij.

I. QVamuis Deus liberos parentibus summum honorem exhibere iusserit, tanti tamen Sacramentum Matrimonij fecit, vt eos, qui vxorem duxerint, dimisso patre, & matre vxori suæ adhærere voluerit, ne quod Deus coniunxit, homo separet, cum ipse sit huius Sacramenti præses, & custos D. Ambrosio teste lib. 1. de Abraham cap. 7. vbi ait: *Cognoscimus velut præsidem, custodemque coniugij esse Deum.* Sed quia quò maius est hoc Sacramentum, eò magis Dœmones ipsum polygamijs, incestuosis nuptijs, adulterijs, repudijs, concubinatu polluere tentant; Ideò iubemus Parochos diligenter obseruare, cum aliquod matrimonium contrahi debet, vtrum contrahentes legitimæ sint ætatis, quod nempè vir decimum quartum, fœmina duodecimum agat annum; vtrùm liberi, an coacti etiam per metum cadentem in constantem virum contrahant; an sint consanguinei, seu affines vsque ad quartum gradum inclusiuè, vel ex coitu illicito vsque ad secundum; vtrum spirituali cognatione coniuncti; an pręcepto annuæ confessionis, & communionis paruerint, vel aliquo alio Canonico impedimento laborent, & præsertim an necessaria fidei mysteria probè calleant:

leant: nam si illa ignorant, differat Parochus eos matrimonio iungere, donec rectè didicerint. Sed si vrgens necessitas dilationi obstaret, idem Parochus rem ad nos deferat, vt pro negotij qualitate facultatem concedere possimus.

II. Cum nullum obstiterit impedimentum, Parochus per se ipsum, & non per alium Sponsi, Sponsæque voluntatem explorabit, ijsque consentientibus ad denunciationes faciendas procedat. Sed si Sponsa cœptis denunciationibus domo non egrediatur, nisi contracto Matrimonio, ac proinde Ecclesiastico præcepto audiendi Missam diebus festis nõ obediat, Parochus à denunciationibus desistat, nec progrediatur, donec Sponsa Ecclesiæ præcepto paruerit.

III. Denunciationes tribus diebus festis inter missæ Parochialis solemnia fiant, sed si festa coniuncta sint; vt in Natiuitate Domini, Paschate, & huiusmodi contingere solet, tunc inter vnam, & alteram denunciationem aliquis dies interponatur. Absolutis autem denunciationibus Parochus contrahentes coram duobus, aut tribus testibus matrimonio iungat, seruatis ritibus, ac reliquis, quæ à Rituali Romano, ac Sac. Conc. Trid. requiruntur. Nam si quispiam eorum in hoc deliquerit, seuerè punietur.

IV. Si contrahentes ex duabus Paræcijs nostrę Diœcesis fuerint, Parochus, qui matrimonium celebrare debet, ad ipsum non procedat, nisi alterius

Parochi testimonio sibi constet denunciationes in altera Paræcia factas fuisse, nullumque impedimentum detectum. Quæ tamen non fient nisi postquam Parochus Sponsorum voluntatem explorauerit, ac de eorum consensu alterum Parochum admonuerit.

V. Si alter contrahentium noster Diœcesanus non sit, tenor infrascriptus adhibeatur. Primo contrahens extraneus nostrum Vicarium Generalem adibit, cui exhibitis omnibus, quæ iuxta S. Officij instructionem requiruntur, facultatem impetrabit Parocho nostræ Diœcesis directam, vt habito à contrahente Suæ Pareciæ consensu ad denunciationes faciendas procedere possit. Deinde idem extraneus contrahens alterum sui Parochi testimonium Episcopi signo (quod legalitatem vocant) munitum exhibebit, quo denunciationes in sua Paræcia fuisse factas, nullumque detectum esse impedimentum probetur, & tunc facultas Parocho nostræ Diœcesis concedetur celebrandi matrimonium, nisi aliquid sibi notum obstet, de quo etiam nos facere debet certiores. Si quis Parochorũ supra descriptam formam non adhibuerit, grauissimis mulctabitur pœnis.

VI. Si inter denunciandum aliquod detegatur impedimentum, Parochus statim cesset, ac impedimentum nobis significet. Contrahentes scienter matrimonium cum impedimento dirimente præter matrimonij nullitatem etiam dispensationis

spe

spe perpetuo carebunt. Scientes impedimenta, ac denunciare negligentes, & denunciantes falsa ad matrimonium impediendum pœna à iure contra falsarios imposita plectentur.

VII. Post mensem à denunciationibus absolutis si matrimonium celebratum non fuerit, iterum denunciationes fiant, vel à nobis petatur facultas, quæ tantum concedetur, cum legitima procrastinationis causa probata fuerit, ac nullum potuisse oriri nouum impedimentum constiterit. Parochus inobediens sit ipso iure suspensus. Si alicuius denunciationis lege contrahentes soluimus, Parochus in denunciatione, quam facit, id populo significet, vti etiam significabit dispensationes impedimentorum à Sede Apostolica obtentas. Cum ex aliqua legitima causa omnium denunciationum lege Sponsos soluemus, Parochus tamen matrimonio contracto eas faciat, nisi in facultate secùs expressum fuerit.

VIII. Sponsis non liceat contractis Sponsalibus simul conuersari trium aureorum indicta pœna qualibet vice locis pijs soluenda. Curent proinde Parochi nobis statim eos denunciare, qui præsenti decreto non paruerint; & si quidquam vel minimum ab inobedientibus acceperint, vt ab huiusmodi denunciatione desistant, vel in pœnam transgressionis, ipso iure sint suspensi. Si aliquod impedimentum dirimens post contractum matrimonium detegatur, iubeant Parochi virum ab vxo-

re illicò ſeparari, donec impedimentum auferatur. Cum matrimonia poſt contracta ſponſalia vltra duos menſes protrahuntur, Parochi ad nos deferant, vt ſcandalis, quæ oriri poſſunt, occurramus.

IX. Abſque noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis facultate, nemo Parochorum matrimonia temporibus ab Eccleſia interdictis celebrare audeat, quamuis abſque nuptijs, & conuiuijs ſponſi contrahere velint.

X. Admoneat Parochus Sponſos, vt ante matrimonium ſua peccata confiteantur, ne tanti Sacramenti gratia careant. Matrimonia verò non celebrentur, niſi in Eccleſia Parochiali antemeridiano tempore, quibus celebratis, ſtatim ſacrum peragatur, in quo diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento reficiantur, & nuptialem benedictionem obtineant, quam ſi ex aliquo impedimento differre contigerit, ſuadeat Parochus ſponſos ſimul non cohabitare, priuſquam illam non obtinuerint.

XI. Vociferationes, cachinnos, clamores, ſtrepitus, qui voce, vel inſtrumentis fiunt in nuptiis viduorum, viduarum, & ſenum omninò prohibemus indicta inobedientibus decem aureorum pœna qualibet vice locis pijs applicanda.

XII. Viro ab Vxore, Vxori à Viro ſeiungi nobis inſciis non liceat, & ſi à Parocho moniti non paruerint, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis priuentur, donec reſipiſcant, vbi verò ex legitimis cauſis à iure thori ſeparatio conceditur, id

ta-

tamen non fiat, nisi causis coram Iudice deductis, eiusque prolata sententia.

XIII. Exteri ducentes mulieres, quas Vxores vocant, si nostræ Diœcesis accolæ fiunt, matrimonium coram Parocho legitimis documentis probent, quod si per mensem distulerint, Parochus de ipsorum pertinacia, vel etiam negligentia nos moneat. Si de alicuius viri, vel vxoris morte rumor euulgaretur, velletque superstes ad secunda vota transire, Parochus matrimonia non celebret, nisi de ipsorum morte legitimè constet illius Parochi testimonio, in cuius Paræcia defuncti sunt, si intra Diœcesim decesserunt; si verò extra Diœcesim Parochus ad matrimonium non procedat, donec morte iuridicè coram nobis, vel nostro Vicario Generali probata facultas concedatur.

XIV. Moneant Parochi liberos, ne inuitis parentibus matrimonia contrahant, moneantque Parentes, ne liberis quoad hoc vim inferant. Si tamen ob eam causam inter eos aliqua dissensio orietur, Parochorum munus sit nos, vel nostrum Vicarium Generalem quamprimùm de omnibus admonere.

XV. Matrimonia tandem omnia, quæ per Parochos celebrantur, in peculiari libro intra triduum post contractum matrimonium describantur ab ipsis, seruata ad amussim forma in Rituali Romano pręscripta, quod si neglexerint pro quolibet matrimonio non descripto aureum locis piis soluent.

CA-

CAPVT XXIV.

De vita, & honestate Clericorum.

I. ELegit Deus Sacerdotes, vt velut Angeli cum hominibus versentur in terris, D. Chrysostomo teste; quare Angelicis moribus præditos nos esse oportet, *vt quod sumus professione, actione potiùs, quam nomine demonstremus, ne sit nomen inane, crimen immane, ne sit honor sublimis, vita deformis, ne sit Deifica professio, & illicita actio*; Qui enim aliter vitam instituet, non modo de propriis, sed etiam secularium vitiis erit rationem redditurus, quia *languescit secularium pietas, vbi vita Clericorum non splendescit*: Vt optimè Synodus quædam Veneta monuit. Interdicimus propterea Clericis crapulas, publica Laicorum conuiuia, & choreas, etiamsi non eas ducant, sed tantùm intersint. Circulatorum spectacula, Histrionum, cœterorumque comędias, laruas, ac personatos, & nuptias vitent: nocturno tempore vias, præsertim canendo non circumeant, neue canentibus comites sese adiungant. A Cauponis, nisi itineris causa, à venationibus illicitis, ac ab omnibus actionibus, quæ virum Ecclesiasticum dedecent, prorsùs abstineant. Post horam noctis nemo absque lumine, etiam vrgente necessitate incedat: Inobedientes carcerum pœna plectentur:

II. Mu-

II. Mulierum præsertim suspectarum consortia Clerici omnes effugiant, præterquam earum, quæ primo gradu sibi coniunguntur: cum consanguineis autem, vel affinibus vlterioris gradus absque nostra expressa facultate non cohabitent. Ancillis ætatis saltem quinquaginta annorum, probatæ conditionis, & famæ ad res domesticas agendas vtantur. Fœminas, nisi per nos liceat, canere, ac legere non doceant. Qui secùs egerint, graues nostro arbitrio pœnas dabunt.

III. Quia interiorem animi habitum exterior corporis habitus indicat, Clerici, qui virtutum omnium habitibus, sed præsertim modestiæ præditi esse debent, non nimis pretiosum, non nimis lacerum, sed modestum habitum induant nigri coloris, cui pileus, tibialia, & calceamenta, quo ad colorem consonent. Tunica ad talos pertingat, iter agentibus tamen paulò breuiorem permittimus. Pars illa tunicæ, quæ collum circundat, & cui collare affigitur, sit ipsi tunicæ coniuncta ita, vt inter ipsam, & tunicam collum non appareat. Subuculæ manichas ita longas, & laxas non ferant, vt vltra tunicæ manichas prominere cogantur. Floccos sericos, ac cętera, quæ Secularem redolent leuitatem penitùs interdicta esse volumus. Annulos Prothonotarijs Apostolicis, aut simili priuilegio decoratis tantùm concedimus: dum tamen Sacrum faciunt omninò prohibemus.

IV. Secularium diuturna, ac familiari consue-

suetudine non vtantur. Per vias publicas, & forum otiosi non discurrant: in officinis, vbi sermocinationibus inhonestis, ac detractionibus frequens opera datur, non sedeant. Medici, Chirurgi, ac Procuratoris officio non fungantur, nisi pauperibus gratis, & in Tribunali Ecclesiastico patrocinentur. Minorum tutelas, aut curas, nisi nostra facultate impetrata non gerant. Secularium negotia, mercaturam, cœterasque negociationes à Sacris Canonibus interdictas non exerceant. Qui non obtemperauerint, pro modo culpæ pœnas Sacrorum Canonum, aliasque nostro luent arbitrio. Qui verò arma deferre audebunt, cuiusuis generis, aut quocumq; prætextu, seu quæsito colore, viginti aureos locis pijs applicandos qualibet vice soluent.

V. Comam non nutriant, sed modicè tondeant ita, vt capilli circa tempora inferiorem aurium extremitatem, in occipite collare tantùm attingant, capitis vertice semper sphericè tonso. Superioris labij barba nunquam ita promineat, vt Sacratissimi Sanguinis sumptioni impedimento esse possit.

VI. Sacerdotes, qui ex beneficij præscripto nullum Sacrum facere debent, omnibus diebus festis ex præcepto obseruandis saltèm sacrificent. Diaconi, & Subdiaconi octauo quoque die, minoribus ordinibus initiati bis in mense, Clericali verò tonsura tantùm initiati semel singulis mensibus saltem Corpus Dominicum participent.

VII. A le-

VII. A lectione librorum lasciuorum, poesis amatoriæ, Comædiarum, aut huiusmodi oculos auertant, ac in studium Sacræ Scripturæ, Sac. Conc. Trid., Catechismi Romani, & Theologiæ moralis enixè incumbant. Gesta Sanctorum, & præsertim Ecclesiasticorum à probatis Auctoribus descripta perlegant, vt habeant, quos possint imitari. Cantui Gregoriano operam nauent; vt si psallendi munus cum aliquo beneficio susceperint, eo rectè fungantur.

VIII. Nemo Sacerdotum, vel Clericorum superpelliceo indutus in Ecclesiæ foribus consistat, vel vicos, & plateas circumeat, nisi supplicationum causa, quo casu modestiam, decusq; seruet.

IX. Publicos ludos siue licitos, siue illicitos Clericis, prohibemus: inter priuatos verò talos, & aleas expresse interdicimus: ludos tamen, in quibus corporis, vel mentis industria adhibetur, animi leuandi causa concedimus, dummodò à secularium oculis sint remoti, recreationis causa, non lucrandæ pecuniæ cupiditate exerceantur, non diuturnum tempus in eis teratur, nulla contentio, aut rixa interueniat, nec feria propter ludos deserantur.

X. Priuilegijs Clericalibus gaudere nequaquam posse declaramus eos, qui minoribus tantùm ordinibus initiati, siue cœlibes sint, siue cum vnica, & Virgine contraxerint, in habitu, & tonsura non incedunt, nec alicui Ecclesiæ nobis consen-

tientibus adscripti eidem inseruiunt, Constitutionem Bonifacij VIII., quæ incipit: *Clerici, qui cum vbicis*: & Sac. Conc. Trid. sess. 25. cap. 6. de ref. renouantes.

CAPVT XXV.

De Capitulis Cathedralium, & Collegiatarum.

I. CVM Canonici iuxta Sacrorum Canonum regulas viuentes à verbo Græco *Canon*, quod est *regula*, dicantur, non à verbo *Canon*, quod *pensionem* significat, debent ita viuere, vt in eis locum habere non possit Alcuini reprehensio in Homil. de Zizania dicentis: *Eia ergo ò Canonice inueniamus à quo deriuaris, idest à Canone pecuniæ, non à Canone vitæ, idest à Canone regionis, non à Canone Religionis*. Hanc notam tamen effugient, si sua Capitula ea diligentia, ac decore regant, quibus antiquus Romanorum Senatus à PP. conscriptis regebatur: ita enim se gerere debent, *vt meritò Ecclesiæ Senatus dici possint*. Capitulum itaque quocumque die Dominico recitato Completorio in Sacrario congregabunt, vbi Capituli Præfectus, nempe prima Dignitas, aut ea absente sequens in ordine dato per Campanulam signo, & omnibus genuflexis Spiritus sancti auxilium implorabit: Deinde singulis in suo loco seden-

sedentibus Secretarius in libro scribet propositiones omnes, quę à Capitularibus fiēt, ac eis alta voce lectis quicumque secūdum ordinem ab vltimo incipiendo suam proferet sententiam, sed modesta voce, & omni tumultu, omnique altercatione remota: tandem vnaquæque propositio secretis calculis probetur, vel reprobetur, nunquam autem viua voce sub pœna nullitatis actus, ac trium aureorum, qui locis pijs soluentur.

II. Clericus præ foribus aderit, qui quoties opus fuerit vrnam ad capiēda suffragia circumferat: (nunquam tamen per Canonicum id fiat.) Si nihil proponendum sit, vel cum Capitulum absolutum fuerit, Præfectus actis Deo gratijs Congregationem dissoluet. Si quis ante discesserit non impetrata facultate à Præfecto, quinque iulios qualibet vice soluet ipsi Sacrario applicandos.

III. Cum pauciores quinque Capitularibus congregabuntur Capituli facultatibus, & iuribus carere declaramus; Capitulum enim saltem ex quinque vocalibus constare debet. Qui conuicia, vel iniurias in Capitulo proferre audebit, aureorum viginti pœna mulctabitur. Præcipimus autem de rebus in Capitulo gestis extra nisi cum Capitularibus ipsis non differere, quapropter sciāt transgressores lethali culpa se obstringere, & insuper arbitrio nostro punientur, etiam vocis priuatione.

IV. Quando imminens aliquod præiudicium celeritatem requirat, Capitulum etiam extra præ-

dictos dies per Præfectum congregare liceat, dum tamen antecedenti die indicetur. Cum autem indictum fuerit, qui non legitimè impeditus venire neglexerit iulios quinque Sacrario applicandos soluet. Nunquam tamen, dum diuina persoluuntur officia, Capitula congregentur, nisi vrgentissima sit necessitas, circa quod Præfecti conscientiam oneramus.

V. Si negocium, de quo agitur ad commodum, vel incommodum alicuius ex Capitularibus, vel ex eorum consanguineis, aut affinibus in secundo gradu pertineat, Capitularis ille discedat linquens cæteris liberam differendi, ac operandi facultatem.

VI. Officia, quæ per Capitulum distribuuntur, si quisquam recusauerit, septem aureorum pœnam Sacrario applicandam luet. Vnusquisque sui officij partes sedulò impleat. Nemo munus ineat alienum. Absolutis munerum temporibus quæstor, quem vulgo vocant *Camerlengo*, cæterique officiales, vel Oeconomi suæ administrationis rationem statim reddant apud Syndicos à Capitulo electos, ac si debitores fuerint, eos confirmari prohibemus.

VII. Habeant Capitula Archiuum duabus seris, totidemque clauibus munitum, quarum altera à prima Dignitate, altera à quæstore retineatur. In eo rationum libri, bonorum inuentaria, catasta, cęteræque scripturæ ad ipsa Capitula pertinentes seruentur, ac nemini liceat absque Præfecti fa-

cultate

cultate quidquam ex Archiuio extrahere sub excommunicationis pœna nobis reseruata, & ipso facto incurrenda, quam etiam ipso facto incurrent, qui Capitulorum Scripturas apud se retinent, nec intra quindecim dies à præsentis Synodi publicatione restituent, vel cognoscunt eos, qui illas detinent, nec intra prædictum tempus nobis, vel nostro Vicario Generali reuelabunt.

CAPVT XXVI.

De Seminario Clericorum.

I. HOminum custodia sicut cęterorum omnium ab incunabulis præcipua esse debet. Hi enim velut arborum rami nouelli Agricolarum peritorum ductu, vel proceri, vel humiles euadunt. Ex quorum bonis, vel malis fructibus respublicas meliores, vel deteriores fieri videmus, ac propterea *in Ciuitate*, vt ait Aristoteles, *primam, & maximam curam esse oportet in erudienda iuuentute, qua sublata pereat Respublica necesse est*. Nec pueri, quia parui, ideò contemnendi sunt, *quia non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt*. Imò, quia sunt pueri, multò deligentius educandi sunt, vt ea, quæ ad pietatem, moresque spectant, nesciant deindè natura, an præceptis acceperint. Certum est enim ad id maximam necessariam esse di-

ſciplinam, quia non natura, ſed diſciplina viri boni, atque honeſti fiunt iuxtà Clementis Alexandrini ſententiam. Quod ſi in quacumque Republica ſeruandum eſt, quanto magis in Republica, ne dum Chriſtiana, ſed Eccleſiaſtica, cuius eſt non ſolùm ad perfectionem tendere, ſed & alios ad perfectionem inuitare: non ſolùm beatam eſſe, ſed & alios beatos facere. Non igitur mirum ſit, ſi Chriſtus in huius Reipublicæ primordijs virtutum Seminaria duo inſtituit, alterum Apoſtolorum, diſcipulorum alterum, qui quamuis ætate prouecti, paruuli tamen per ſimplicitatem effecti altiſſimis fidei myſterijs eruditi totum Orbem peragrando, & Chriſtianam Rempublicam amplificarunt, & Eccleſiaſticam illuſtrarunt. Cuius rei S. Iſidorus Iſpalenſis Epiſcopus imitatus exemplum Seminarium erexit, quod inter yberrimos fructus S. Alphonſum Toletanum Epiſcopum, & S. Brauſium Epiſcopum Cæſarauguſtanum vniuerſæ produxit Eccleſiæ, nec à Supremo Magiſtro diſſenſit Sacroſanctum Trid. Conc. cum Paſtores omnes ad Seminaria conſtruenda, promouenda, ac dilatanda enixè hortatum eſt, cuius decretis obſequens vigilantiſſimus Anteceſſor noſter Eminentiſſimus de Alterijs Seminarium Montis Faliſci tanta pietate fundauit, vt nos eius veſtigia ſectantes ob tantum opus perficiendum nulli ſumptui, nulli labori, nullis vigilijs parcamus. Sed quia tàm materiale, quàm ſpirituale ædificium diù con-

ſiſtere

stere nequit, nisi regulis quibusdam, veluti Canonibus, vel legibus regatur, in fine præsentis Synodi regulas ipsas posuimus expressè mandantes, vt omnia, quæ in ipsis per nos ordinata sunt, ab Alumnis, Conuictoribus, Rectoribus, Magistris, Oeconomis, ceterisque Ministris ad amussim seruentur. Nam si secùs egerint non modo pœnas in regulis contentas, sed etiam alias nostro arbitrio subibunt.

CAPVT XXVII.

De Decimis, & Oblationibus.

I. DE decimis pauca Nos decreturos Sanctissimi Abbatis Valafridi Strabonis verba, in medium afferre non piget, ita populum alloquentis: *Decimas Deo, & Sacerdotibus Dei dandas, Abraham factis, Iacob promissis insinuat, deindè lex statuit, & omnes Doctores sancti commemorant. Cum itaque Iudaicus populus preceptum decimarum tanta diligentia obseruaret, vt de minimis quibusque olusculis, ruta videlicet, menta, & cymino decimas daret. Cur non maiori studio plebs Euangelica eandem impleat iussionem, cui, & maior est numerus Sacerdotum, & sincerior cultus Sacramentorum?* qui verò iussionem non impleuerint audiant D. Augustini minas: *Hæc est Domini iustissima consuetudo, vt si tu decimam*

cimam illi non dederis, tu ad decimam reuoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Præter pœnas autem, quas in soluendis decimis morosi à Deo expectare poterunt, à nobis Canonicis pœnis, etiam excommunicationis punientur: Confessarij quoque sæpè pœnitentes interrogent circa decimarum solutionem, ac vbi fraudes commissas cognouerint, absolutionem differant, donec pœnitentes parti læsæ pro modo facultatis satisfecerint.

II. Quoties decimarum exactio ob superuenientem aliquam difficultatem impediatur, statim Parochi ad nos deferant, vt remotis Iuris apicibus, sola facti veritate inspecta, lites dirimantur. Caueant Parochi, ne amicis, vel coniunctis decimas remittendo suis successoribus aliquod afferant præiudicium, nam si nobis id innotescat pro modo culpæ mulctabuntur.

III. Qui decimas soluere debent nihil è iusta mensura subtrahant, nec substantiam dent vitiosam, sed semper eius sit generis, quod vulgò vocant, *Mercantile*. Si secùs egerint non modo ciuiliter, sed etiam criminaliter contra eos agetur.

IV. In decimarum exactione seruetur vbique locorum consuetudo, & quoad quantitatem, & quoad qualitatem, & quoad personas. Hortamur tamen Parochos, vt in exactione huiusmodi tanquam pastores, non tanquam mercenarios se gerant, suis subditis ostendentes se decimas exigere,

non

non ob pecuniæ cupiditatem immoderatam, nec rei familiaris augendæ causa, sed ob Dei, & Ecclesiæ cultum, pauperumque leuamen, quibus id, quod superest, elargiri debent.

CAPVT XXVIII.

De Officio Parochi.

I. IN quam ancipiti statu versentur Parochi, à Diuo Gregorio Nazianzeno demonstratur, dum eos funambulis his verbis assimilat: *Quemadmodum in sublimi, & pendulo fune gradientibus huc, vel illuc deflectere minimè tutum est, nec quælibet parua inclinatio paruum periculum affert; necnon eorum salus, ac securitas in æquilibrio posita est; ad eundem quoque modum vtramuis in partem quisquam, siue ob vitium, siue ob imperitiam perpendeat, haud leue periculum tum ipsi, tum subditis imminet, vt in periculum prolabantur.* Sed si magnum est periculum, deuitantibus tamen illud maxima præmia proponuntur, D. Ioannes Chrysost. teste: *Multa* (ait ille) *& inexplicabilis merces ijs reposita est, qui strenuè laborauerunt in ijs, quæ Christus sibi pretiosa esse testatur.* Non defuerunt, qui Parochi officio fungentes ad sanctitatis culmen peruenere, veluti S. Seuerus Rauennas, S. Gamelbertus Bauarus, S. Volpholdus Gelmodarius, S. Martinus

cimam illi non dederis, tu ad decimam reuoceris. Dabis impio militi quod non vis dare Sacerdoti. Præter pœnas autem, quas in soluendis decimis morosi à Deo expectare poterunt, à nobis Canonicis pœnis, etiam excommunicationis punientur: Confessarij quoque sæpè pœnitentes interrogent circa decimarum solutionem, ac vbi fraudes commissas cognouerint, absolutionem differant, donec pœnitentes parti læsæ pro modo facultatis satisfecerint.

II. Quoties decimarum exactio ob superuenientem aliquam difficultatem impediatur, statim Parochi ad nos deferant, vt remotis iuris apicibus, sola facti veritate inspecta, lites dirimantur. Caueant Parochi, ne amicis, vel coniunctis decimas remittendo suis successoribus aliquod afferant præiudicium, nam si nobis id innotescat pro modo culpæ mulctabuntur.

III. Qui decimas soluere debent nihil è iusta mensura subtrahant, nec substantiam dent vitiosam, sed semper eius sit generis, quod vulgò vocant, *Mercantile*. Si secùs egerint non modo ciuiliter, sed etiam criminaliter contra eos agetur.

IV. In decimarum exactione seruetur vbique locorum consuetudo, & quoad quantitatem, & quoad qualitatem, & quoad personas. Hortamur tamen Parochos, vt in exactione huiusmodi tanquam pastores, non tanquam mercenarios se gerant, suis subditis ostendentes se decimas exigere,

non

non ob pecuniæ cupiditatem immoderatam, nec rei familiaris augendæ causa, sed ob Dei, & Ecclesiæ cultum, pauperumque leuamen, quibus id, quod superest, elargiri debent.

CAPVT XXVIII.

De Officio Parochi.

I. IN quam ancipiti statu versentur Parochi, à Diuo Gregorio Nazianzeno demonstratur, dum eos funambulis his verbis assimilat: *Quemadmodum in sublimi, & pendulo fune gradientibus huc, vel illuc deflectere minimè tutum est, nec quælibet parua inclinatio paruum periculum affert; necnon eorum salus, ac securitas in æquilibrio posita est; ad eundem quoque modum vtramuis in partem quisquam, siue ob vitium, siue ob imperitiam perpendeat, haud leue periculum tum ipsi, tum subditis imminet, vt in periculum prolabantur.* Sed si magnum est periculum, deuitantibus tamen illud maxima præmia proponuntur, D. Ioannes Chrysost. teste: *Multa* (ait ille) *& inexplicabilis merces ijs reposita est, qui strenuè laborauerunt in ijs, quæ Christus sibi pretiosa esse testatur.* Non defuerunt, qui Parochi officio fungentes ad sanctitatis culmen peruenere, veluti S. Seuerus Rauennas, S. Gamelbertus Bauarus, S. Volpholdus Gelmodarius, S. Martinus

Saurienfis, S. Gonfaluus Amarantus, cæterique, quos enumerat eruditiſſimus P. Raynaudus in ſuo opuſculo *de Tit.ſpecialit.colend.aliq.ſanct.* ſed vt à via recta nemo aberret, ac pericula facilius euadere poſſit, ſtatuimus, vt omnes Parochi diebus Dominicis, ac ſolemnioribus feſtis verbo Dei ſuū paſcant Gregem fidei myſteria, ac Sacramentorum doctrinam docentes: Sacrificij miſſæ, & cæterarum Eccleſiæ Cæremoniarum myſteria explicantes: ad vitia fugienda, virtutemque ſectandam hortantes: necnon in ſimplicitate ſermonis Euangelicam doctrinam breuiter declarantes; vt autem id facilius peragere poſſint, in Romani Catechiſmi ſtudium incumbant, quem librum, ſiuè latino, ſiue italico editum Sermone apud omnes Parochos ſub pœnis noſtro arbitrio infligendis detineri iubemus. Poterunt etiam alios Conſulere libros, veluti Chriſtianum Inſtructum P. Segneri. Parochum inſtructorem P. Agnelli, cæteroſque huiuſmodi. Quod ſi memoria non polleant, legant ſaltem Populo aliquid, vel è ſupradictis Auctoribus, vel operum P. Aloyſij Granatæ, vel exercitiorum Spiritualium P. Rodriguez: Et ſi non paruerint, aureum locis pijs qualibet vice ſoluent. Tempore verò aduentus; vel quadrageſimalis ieiunij, cum concionatores per nos mittuntur, Parochi a Concione, vel lectione ceſſabunt, non verò à catechiſmo puerorum, & à feſtorum, ieiuniorumque publicatione.

II. Omnes Parochos in ſuis Paræcijs reſidere iube-

iubemus, nec ab eis vltra biduum, nisi nostra impetrata facultate, sub quindecim aureorum pœna abesse possint. Si verò in Paræcia adsint ægroti, ac Parochi coadiutoribus careant, tunc nullo modo eos abesse volumus. Quod si aliquis repentinus euentus discedere cogat, statim Vicarium Foraneum certiorem faciant, vt infirmorum necessitatibus consulat, ac nos quam primum admoneat. Residentiæ autem non satisfacit, qui paræcialem domum non colit, ac propterea Canonum pœnas non euadit. Si aliqua Paræcia domum non habeat, Parochus aliquam propè Ecclesiam conducat, vt ad Sacramenta ministranda promptus esse possit. Si Parochus etiam cum nostra facultate à Paræcia aliquando abesse voluerit, duorum mensium spatium non excedat, si pœnas à S. Concilio Tridentino decretas subire noluerit, quas tamen non vitabit, qui etiam intra dictum spatium, sed absque nostra aberit facultate, quam nulli concedemus, nisi prius idoneo Vicario subrogato. Temporibus autem Aduentus quadragesimæ, publicarum supplicationum, iubilæi, ac solemnium festorum absque vrgentissima necessitate omnibus facultas denegabitur.

III. Quo ad Sacramentorum administrationem, ad Christianam Cathechesim docendam, & ad festa denuncianda Parochi diligenter obseruent, quæ supra in proprijs Capitibus disposita sunt. Indulgentias, nisi à nobis, vel Nostris Vicarijs Genera-

neralibus approbatas non diuulgent: Energumenos, nisi per nos liceat, non exorcizent.

IV. Diebus ieiuniorum, Dominicis, ac festis de præcepto, & deuotionis cum concursu populi Parochi saltem Sacrum faciant, non prætermissa tamen sæpius sacrificandi laudabili consuetudine. Cũ populus ex præcepto missã audire debet, & Parochos pro populo Sacrificium applicare iubemus: ne tamen aliqua fraus interueniat, volumus à quolibet Parocho librum detineri, in quo missas, quas, vel ratione officij, Parochialis, vel Cappellaniæ, aut legati pij, siuè anniuersarij, ac etiã deuotionis celebrat, diligenter describat infrascripto modo. *Ego N. missam celebraui ad Altare N. ex obligatione Parochiali, vel Cappellaniæ, aut ex deuotione.* Qui verò neglexerit tanquã si non celebrauerit, punietur, ac iuliorũ duorũ pœnam pro quolibet defectu soluet.

V. Quolibet die Dominico Parochi alba, ac stola induti aquam benedicant, populumque aspergant ad Missalis Romani præscriptum. Domos autem per se ipsos, aut alios Sacerdotes non verò per Clericos, seù Regulares lustrent: Meretricum, Concubinariorum, ac publicorum peccatorum domos non lustrent, imo etiam palma benedicta, & candela priuabunt.

VI. In mulieres filios in lecto suffocantes sæpius inuehantur, easque casum reseruatum incurrere doceant, si pueros in lecto ante annum sine arcula detineant, à quo casu non absoluentur, nisi

si à facultatem habentibus, ac grauissima imposita satisfactione. Si verò suffocent, excommunicationem nobis reseruatam incurrent.

VII. Libros distinctos habeant, in quibus Baptizati, Confirmati, Defuncti, ac Matrimonia describantur: descriptio verò ad Ritualis Romani præscriptum fiat. Et qui negligentes fuerint præter pœnas in præsenti Synodo suis locis decretas, alias nostro arbitrio subibunt.

VIII. Si in Paræcijs adsint Concubinarij, vsurarij, excommunicati, blasphemi, adulteri, lenones, incogniti, malè morati, bonorum Ecclesiasticorum detentores, ac huiusmodi à Parochis vel corrigantur, vel eijciantur; quod si per se ipsos nequeant, ad nos deferant, vt remedijs opportunis occurramus.

IX. Ad rixas sedandas, inimicitiasque componendas Parochi diligenter incumbant, præsertim inter coniunctos, & inter virum, & vxorem: Vbi autem sua officia non prosunt, nos sedulò moneant. Sed si inter Parochum, cæterosque Sacerdotes, vel inter Parochum, & suos subditos aliqua inimicitia oriatur, & Parochus, vel Sacerdotes reconciliari noluerint, suspensionis pœna per nos punientur; laici verò, qui reconciliari cum Parocho recusauerint, pecuniarijs pœnis, donec reconcilientur coerceri iubemus.

X. Cum in aliqua Ecclesia, quamuis Paræciæ propinqua alicuius Sancti festum celebratur, Parochos

rochos ad eam ire prohibemus, nisi Sacro facto, ac cæteris in sua Paræcia persolutis, quod tamen non intelligimus de illis diebus, in quibus in sua Ecclesia celebrare non tenentur, prout esse possunt dies quidam feriales, quibus populus sacrum in paruis pagis audire non solet.

XI. Signum Salutationis Angelicæ in qualibet Paræciali Ecclesia detur in Aurora, in Meridie, & post Solis occasum, post horam verò noctis detur pro Defunctis: suadeantque Parochi populo, vt Salutationem Angelicam, dum signum pulsatur, deuotè, & flexis genibus recitet. Consuetudinem dandi signum circa horam vigesimam secundam pro Agonizantibus tanquam laudabilem approbamus, ac in tota nostra Diœcesi seruari desideramus.

XII. Cum Parochus ægrotat, non negligant viciniores eum inuisere, vt consolentur, auxilientur, & cum opus fuerit, etiam Sacramenta ministrent, vt charitas, quam populis Parochi suadent, inter ipsos maximè eluceat.

CAPVT XXIX.

De Beneficijs Ecclesiasticis.

I. CVM Ecclesiastici diuitias possideant non pro earum amore, *sed* (vt ait D. Bonauentura) *pro amore Dei, vt cultum Dei per eas amplificent, vel pro amore Christi, vt proxi-*

mis

mis inde subueniant. Væ illis, qui beneficia tamquam hæreditatem possident, contra quos Regius Psaltes inuehitur dicens: *Qui dixerunt: hæreditate possideamus Sanctuarium Dei: Deus meus pone illos, vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*. Quoniam verò *hodie* (vt cum Petro Blesensi loquar) *in promotione quorundam prima quæstio est, quæ sit summa redditu um, non quæ sit conuersatio subditorum*. Et nos cum D. Bernardo: *Cupimus antequam moriamur videre Ecclesiam nostram sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam, argenti, vel auri, sed in Capturam animarum*, ideò statuimus Clericos omnes beneficia obtinentes infrà debitum tempus ad ordines à beneficio requisitos promoueri, aut beneficium dimittere: Vicarijs autem foraneis præcipimus, vt infrà mensem à præsentis Synodi publicatione distinctè nos moneant de Ecclesiarum in suis Vicarijs existentium indigentijs, vt Beneficiarios ad earum reparationem, & ad supellectilia comparanda compellere possimus: nec excusationem probabimus, quod in illis Ecclesijs Sacra non fiant, nam vbi nulla Missarum adesset obligatio, in festo tamen Sancti Titularis semper Sacrum fieri iubemus; quod si aliqua Ecclesia ita diruta sit, vt reparari nequeat, eius titulum ad Ecclesiam Parochialem, vel aliam viciniorem transferemus.

II. Cum Beneficium siue simplex, siue Cura-

tum

tum vacauerit, Vicarius Foraneus eius loci statim nos moneat, negligentia enim circa hoc graui pœna punietur. Qui Beneficia per Datariam obtinuerint, Pontificia diplomata ante possessionem in nostra Cancellaria exhibeant, vt de legitima possessione constet, & diplomata in regesto describantur.

III. Quando Beneficium Curatum vacauerit ex ijs, quæ per concursum præuio examine conferri debent, nemo Examinatorum aliquem suis socijs commendet, vel de illis moneat, de quibus in examine interrogabitur, vel in ipso examine nutibus, aut alio modo adiuuet. Qui non paruerit, Officio priuabitur: Qui munera accipiet, Simoniacorum pœnas subibit: & qui suo suffragio amoris, vel odij causa fauebit indignis, aut dignos excludet, etiam excommucationis pœnam luet.

IV. Ad Beneficia concurrentes, si nobis litteras dabunt commendatitias, à Beneficijs pœnitus excludentur. Si aliquem promissionibus, vel minis impediant, ne concurrat, hisque modis illicitis beneficium obtinuerint, concursum inualidum, beneficiumque nulliter obtentum declaramus: pactiones quoque inter concurrentes sub pœna inhabilitatis ad quæcumque beneficia pœnitus interdicimus.

V. Qui Beneficium obtinent, intrà mensem, à possessione adepta bonorum mobilium, stabilium, ac semouentium, quæ in Beneficio repererint

rint, Inuentarium conficiant; ac in nostra Cancellaria exhibeant, arbitraria negligentibus indicta pœna.

VI. Patroni, dum Patronatus vacant, eorum redditus administrare non audeant, cum id pertineat ad Oeconomum à Nobis deputandum; Controuersiæ verò, quæ super hoc oriri poterunt, non alibi quàm in nostro Tribunali dirimantur.

C A P V T XXX.

De Monialibus.

I. Virginum, quæ Deo dicantur, status ità cæteris supereminet, vt etiam Angelis antecellat. *Maior tamen* (inquit D. Ambrosius) *est victoria Virginum, quàm Angelorum; Angeli enim sine carne viuunt, Virgines verò in carne triumphant.* Et D. Aldelmus Virgines dicit esse gemmas illas, quibus Diuini Opificis regium ornatur Diadema.

Virginitas fulget lucens, vt gemma Coronæ,
Quæ Caput æterni præcingit Stemmate Regis

Sed vt tàm eminens seruetur status, docet D. Augustinus, Virgines *cum silentiò, & disciplina vitam suam ornare deberè*, ne velut illa monialis euadant, in qua D. Bernardus ait; quod *Velum in capite mentiebatur reuerentiam, & sub velo petulans oculus exhibebat impudentiam. Caput siqui-*

dem gerebat velatum, sed elatum: sub signo verecundiæ sermo resonabat inuerecundus. Nemini igitur siue Seculari, siue Regulari cuiusuis gradus, aut conditionis Moniales alloqui liceat viginti aureorum secularibus indicta pœna, Regulares verò pœnis Canonicis punientur, nisi à Nobis vel nostro Vicario Generali facultatem impetrauerint. Liceat id tamen consanguineis in secundo gradu, honestisque fœminis, excepto Aduentus vel quadragesimalis ieiunij tempore. Quando verò diuina persoluuntur officia, cum in mensa Moniales consistunt, ac diebus illis, quibus Communio generalis habetur, collocutoria clausa manere sub pœnis nostro arbitrio infligendis iubemus.

II. Facultas data Sacerdotibus, siue Secularibus, siuè Regularibus sacrum faciendi nunquàm ad Ecclesiam Monialium extenditur, nisi ad hoc alia specialis facultas concedatur, qua non obtenta Sacerdos secularis, qui in Monialium Ecclesijs sacrum fecerit, decem aureos locis pijs applicandos quacumque vice soluet, quos etiam soluet, qui in earum collocutorijs, vel Ecclesijs comedere, aut eas in Monasterij foribus alloqui audebit: Regulares verò Canonicis pœnis coercendos se sciant. Facultas per regulares à S. Congregatione obtenta Moniales alloquendi non suffragabitur nisi à nobis, vel nostro Generali Vicario recognita, ac omnibus in ea requisitis ad amussim obseruatis.

III. Facultas audiendi confessiones, nisi sit expressa

pressa pro Confessarijs Ordinarijs Monialium, semper intelligitur exceptis earum Ecclesijs, & Monasterijs: imò qui ad audiendas vnius Monasterij confessiones deputatus fuerit, alterius Monasterij confessiones audire non possit.

IV. Medici, & Chrirurgi sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda Monasteria absque nostra facultate non ingrediantur, cum verò tam ipsis, quàm Confessarijs in casibus necessitatis, per Nos ingredi licebit, detur priùs solita Campanula signum, vt quæque Monialis in suum se conferat cubiculum, deinde duæ ex Monialibus senioribus ad hunc effectum deputatæ in foribus Monasterij, Medicum, Chirurgum, aut Confessarium recipiant, eosque tam ad cubiculum ægrotæ eundo, quàm ab eo redeundo semper comitentur, donec è Monasterio egressi fuerint. Confessarius verò nunquam absque superpelliceo, & stola ingredi debet, quem cum duæ Moniales ad ægrotæ cubiculum comitatæ fuerint, ipse solus cubiculum ingredi poterit, cum confessionem audire debet; Si verò alia Sacramenta ministrare debebit, cum Monialibus ipsis ingredietur, à quibus postquam suo functus fuerit officio, denuò ad fores Monasterij associabitur.

V. Medicus atque Chirurgus ab ortu Solis vsque ad eius occasum tantùm Monasteria ingrediantur, sed si necessitas eos nocturno tempore ingredi coegerit, id facere nequeant, nisi etiam Confessa-

rio aſſiſtente, duabus Monialibus comitantibus, & cereo funali accenſo. Idem ordo, cum famulis atque miniſtris ſeruetur, quibus ingrediendi conceditur facultas. Eorum tamen nemini ingredi liceat, niſi neceſſitate vrgente, & cum ingreſſi fuerint, recto tramite ad locum, vbi neceſſitas exigit, pergere debent, ſuoque Officio functi ſtatim egrediantur; ſi ſecus fecerint, pœnas contra violantes clauſuram incurrent. Monaſterij fores nunquam aperiantur ad alloquendum, ſiue fœminas, ſiue viros etiam in primo gradu conſanguineos, ſed tantùm ob Monaſterij indigentias, ac ſemper Abbatiſſa, vel Vicaria aſſiſtente.

VI. Officiales, famulæ, atque famuli cuiuſcumque generis ad ſeruiendum Monaſterijs niſi à Nobis approbati non recipiantur. Feneſtras è quibus intra Monaſteriorum ſepta proſpici poteſt, ſub grauiſſimis noſtro arbitrio pœnis claudi mandamus. Nemo propè Monaſteria citharas, aut alia inſtrumenta pulſet, vel canat, aut choreas ducat. Laruati homines, vel mulieres illac non tranſeant; verba inhoneſta non proferantur. Qui non paruerit ſeuerè punietur. Meretrices nullo modo Monaſteria ingrediantur, multo minus Moniales alloquantur, virgarum indicta pœna ſi non paruerint. Nemo Moniales modulatum ſonum, aut cantum doceat. Muſici nunquam in Monialium Eccleſijs canant niſi facultate à Nobis impetrata.

VII. Inſtrumenta, ſeù contractus cuiuſcum-

que

que generis, cum Monialibus, vel cum puellis in Monasterio existentibus nunquam fiant nisi nostro, vel nostri Vicarij Generalis accedente consensu sub pœna nullitatis contractus, alijsque arbitrarijs. Census, ac dotes supranumerariæ in bonis stabilibus collocari debent: nunquam tamen apud ipsas Moniales, sed in Monte Pietatis deponantur.

VIII. Capitula absque nostra facultate à Monialibus ob quamcumque etiam grauissimam causam sub pœna nullitatis actus, alijsque nostro arbitrio infligendis nunquam congregentur.

CAPVT XXXI.

De Vicarijs Foraneis.

I. TAntæ molis Episcopale munus est, vt Episcopus velut alter Moyses viros de senibus Israel iuxta Dei consilium eligere cogatur, qui secum onus populi sustentent, ne solus grauetur, ideò Nos præter nostros Vicarios Generales in Cathedralibus Montis Falisci, & Corneti residentes alios in varijs nostræ Diocesis locis constituimus, quos Sacri Canones Vicarios Foraneos vocant, eosque quantum in Domino possumus hortamur; vt nostra Decreta diligenter impleri curent ne dum à Clericis, Sacerdotibus, Parochis, Confraternitatibus, Monialibus, & locis pijs, sed ab omnibus ad quos spectat, ac eos, qui renuerint,

apud

apud Nos denuncient, vt opportunè scandalis prouideamus.

II. Ad festorum obseruationes diligenter intendant, publicas choreas hisce diebus præsertim prohibendo. Non permittant mulieres quamuis puellas Kalendis Maij Carmina canere, Coronam circum homines facere, strenam petere, aut eleemosynas etiam ad opus pium quærere: eas verò, quæ contradixerint, apud Nos denuncient, vt singulæ nostro arbitrio puniantur.

III. Quoties dant facultatem alicui operandi diebus festis, vel Parocho discedendi à sua Paræcia, id discretè, & prudenter agant, & solum cum vrgens necessitas id suadet, cuius rei ipsorum conscientiam oneramus: pro facultatibus autèm prædictis nihil omninò recipiant caueant etiam à quacumque pactione cum transgressoribus, nam si aliquid vel minimum acceperint ad hoc, vt eos nobis non denuncient, duplo punientur.

IV. Immunitatem Ecclesiasticam pro viribus defendant, causasque ad nostrum forum spectantes à iudicibus laicis occupari non permittant, ac vbi aliqua adhibeatur violentia, statim nos moneant iuridicos processus interim de omnibus conficientes.

V. Quia sæpè contingit acta coram Vicarijs Foraneis magno litigantium detrimento amitti, ideò per Cancellarium Foraneum actorum librum, & scripturarum exhibitarum volumen fieri iubemus,

mus, quæ absoluta ad nostram Episcopalem transmittant Cancellariam.

CAPVT XXXII.

De Congregatione Casuum Conscientiæ.

I. VEriſſimum hiſce temporibus eſſe experientià comprobatur Euangelicum illud, Meſſis quidem multa, operarij autem pauci, nam multi currunt ad Sacerdotium, rariſſimi ad animarum ſalutem incumbunt. *Ad meſſem multam* (Diuus Gregorius inquit) *operarij pauci facti ſunt, quod ſine graui mœrore loqui non poſſumus: ecce mundus Sacerdotibus plenus eſt; ſed tamen rarus inuenitur operator, quia officium quidem Sacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus*; vt autem opus officij impleatur, ſingulis menſibus Congregationes caſuum conſcientiæ ſiuè in Ciuitatibus, ſiue in Diœceſi haberi iubemus non derogantes tamen laudabili conſuetudini in aliquibus noſtræ Diœceſis locis introductæ dictas Congregationes octauo quoque die habendi, quod Nos maximâ afficit lætitia, Deumque plenitudinem gratiæ eis impertiri deprecamur.

II. Congregationes in infraſcriptis locis habeantur, videlicet, in Terra Gradularum, Criptarum, Marthæ, & S. Laurentij, in terra verò Valentani conueniènt etiam Sacerdotes Lateræ, Planzani,

zani, Arlenæ, ac Tessennani: in Terra Capitis montium conueniet Parochus Bisentij, & in nostra Cathedrali Sacerdotes Terræ Celleni.

III. In qualibet Congregatione Præfectus erit semper ille, qui dignior est, siue sit Archipresbyter, siuè Prior, siuè Præpositus, siue quocunque alio nomine nuncupetur. Vltra Præfectum eligatur etiam Cancellarius, cuius officium vnius anni spatio durabit, quo absoluto vel confirmabitur, vel alius pro loci, sacerdotumque opportunitate eligetur.

IV. Cum dies Congregationis aduenerit, in Ecclesia Parochiali subsellia prò Sacerdotibus parabuntur cum Mensula, ante quam Præfectus cum Cancellario sedebit. Ad Præfectum omnia decernere spectat, cui, tamquam ei, qui nostram gerit personam, debitus honor exhibeatur.

V. Antequam Congregationi detur initium, omnibus genuflexis Spiritus Sancti inuocetur auxilium: Deinde cunctis sedentibus priùs nouus eligatur Cancellarius, vel antiquus confirmetur, qui semper sit Sacerdos Beneficiatus obligatus residere, ne vagandi ansam habeat. Facta electione, vel Confirmatione ipse Cancellarius casus in Congregatione decidendos legat, ipsisque lectis Præfectus suam legat opinionem, cæteris deinde sequentibus illum. Nemo memoriter dicat, ac vnusquisque suę opinionis aliquam rationem, atque authoritatem afferat. Subscribant tandem singuli suam sen-

ten-

tentiam, & Cancellario tradant, cuius erit ad Nos quam primum transmittere vna cum nota eorum, qui defecerunt, vel suam non protulerunt sententiam, omnia tamen clausa, & cum Præfecti Sigillo signata. Præfectus auditis omnium sententijs suam proferet opinionem, distinguendo, definiendo, diuidendo, ampliando, limitando, & veriorem, atque Communiorem sententiam ostendendo, ad quod peragendum ei maiori studio, quam cæteris opus erit.

VI. In proferendis sententijs singuli modestia vtantur. Nemo alterum irrideat. Nemo socium contemnat, sed ita alter alterius onera portet, vt docti superbia, indocti confusione non afficiantur. Præfecti tantùm velut assistentis sit nutantes confirmare, ac dicere non valentibus animum addere.

VII. Antequam Congregatio absoluatur, Præfectus duos casus pro futura Congregatione proponet, quorum exempla Cancellarius petentibus præbeat. Prima tamen vice casus à Nobis proponentur, omnibusque Præfectis mittentur.

VIII. Absolutis omnibus si quidquam pro Congregationis progressu proponendum erit, proponatur, sin autem gratijs Deo peractis omnes modestè discedant.

CAPVT XXXIII.

De Hospitalibus.

I. HOspitalitas quæ à D. Patre Antiocho. *Speciosa admodum virtus, ac Deo per quam gratiosa vocatur*, tanti est apud summum illum rerum omnium Opificem, vt propter hanc cum Abraham amicitiam instituerit, & Loth Sodomorum igne liberauerit: qua propter D. Paulus eam Christi fidelibus enixè commendat. *Hospitalitatis nolite obliuisci*: Et Nos eius inhærentes vestigijs, vt illa diligenter exerceatur, iubemus hospitalium administratores eligi viros idoneos, à quibus omnis absit fraudis suspicio, qui viginti quinque annis maiores sint, ac in officio triennium tantum permaneant.

II. Ægroti hilari vultu suscipiantur: omnia ad salutem recuperandam necessaria eis comparentur. Mulieres secernantur à viris, eisque fœminæ honestæ famulentur. Aduenæ, atque ignoti cum suis vxoribus non admittantur, nisi de matrimonio publicis documentis constet; nec cum consanguineis, nisi de consanguinitate in primo tantum gradu authenticis doceant testimonijs.

III. Scurræ, Circulatores, Histriones, Meretrices, publici peccatores; qui corpus Dominicum in Paschate participasse non ostenderint, & qui,

qui, postquam recepti sunt, peccata sua Confiteri renuerint, omninò reijciantur.

IV. Hospitalium custodes pietatem colant in ægrorum cura, fidelitatem in bonorum administratione, nec ab ægris, vel Peregrinis quidquam minimum etiam spontè oblatum recipiant. Quod si in eorum ingressu, vel egressu aliquid ab eis paciscantur, grauissimis pœnis subiacebunt.

V. Redditus Hospitalium siue proueniant ex stabilibus, siue Censibus, siue eleemosynis ab Administratoribus non erogentur nisi in infirmos, & peregrinos, prout destinati sunt, quod si in alios vsus pro hospitalium beneficio erogare opus fuerit, à Nobis, vel nostris Vicarijs Generalibus petatur facultas, cum expensæ duos aureos excedunt.

VI. Hospitalium Ministri se fideliter administraturos in manibus Cancellarij coram nostris Vicarijs Generalibus iureiurando promittent, & quamuis triennio possint administrare, singulis tamèn annis suæ administrationis rationem reddant, & vbi debitores reperiantur, non possint vltrà administrare, nisi prius debitum soluerint; imò si post mensem à redditione rationis fuerint in soluendo morosi, opportunis iuris remediis contra eos agatur.

CAP. XXXIV.

De Foro Episcopali.

I. CVm experientia quotidie comprobetur, quod D. Gregorius ad S. Cyriacum Constantinopolitanum scripsit. *Quisquis in loco regiminis est, aliquando necesse habet etiam terrena cogitare, & exteriorum quoque curam gerere; vt grex commissus valeat ad ea, quæ sibi sunt explenda, subsistere.* Nos terrena aliquando ob pauperum litigantium leuamen meditantes circa nostrum tribunal decreta quædam statuere optimum existimamus, ex quorum custodia recta iustitia administretur, & ius suum facilius, citiusque vnicuique tribuatur. Ius itaque diebus in honorem Dei non feriatis semper dicatur, idque statutis horis, videlicet contradictoria habeantur mane hora tertia, quæ ad horam cum dimidia durent: post prandium verò à mense Aprilis vsque ad mensem Septembris inclusiuè ad hora 19. vsque ad 21. A mense Octobris vsque ad mensem Martii, ab hora 20. ad 22. ius dicatur, quibus circumactis nulla admittatur instantia, nullumque decretum fiat exceptis causis criminalibus, in quibus, cum differri nequeant, decreta semper fieri debent.

II. Cancellarii per horam ante audientiam in Cancellaria reperiantur; quod si non paruerint, quin-

quinque iulios Monialibus S. Claræ qualibet vice soluent, nec impedimenta eis suffragabuntur nisi à nostris Vicariis Generalibus approbata.

III. Ecclesiarum, locorum piorum, ac miserabilium personarum causæ breui, vt vocant, manu sola facti veritate inspecta expediantur, reliquæ verò citius quam fieri potest, consideratis tamen prius diligenter iuribus ambarum partium, & adhibitis terminis à iure concessis.

IV. Cum causæ quomodolibet ad forum Ecclesiasticum pertinentes iuxtà Canonicas, & Sac. Concilii Tridentini sanctiones in foro tantum Ecclesiastico cognosci debeant: Nos immemorabilem nostræ Ecclesiæ consuetudinem Confirmantes, Constitutiones Antecessorum nostrorum *Bentiuogli in tit. de for. Ecclesiast. & Zacchiæ cap. 53.* renouamus mandantes hospitalium, cæterorumque locorum piorum ministris, ne in supradictis causis, siue agendo, siue excipiendo in foro seculari comparere audeant, nec in laicæ potestatis iurisdictione consentiant, nàm præter pœnas etiam Censurarum, quibus punientur, processus, acta, ac omnia inde sequuta nulla, & inualida declaramus.

V. Sub ijsdem pœnis, & Censuris antiquam consuetudinem seruari mandamus, qua personæ Ecclesiasticæ laicos reos in nostro tribunali hucusque conuenere.

VI.

VI. Quicumque nostram iurisdictionem, nostrosque Ministros quomodolibet quacumque de causa, directè, vel indirectè per se ipsos, vel per alios impedire, aut perturbare præsumpserint, pœnas à Sac. Canonibus, & in Bulla Cœnæ contra violatores Ecclesiasticæ libertatis impositas ipso facto se incurrisse sciant.

VII. Ne miserabiles personæ Potentium impietate opprimantur, ad eas defendendas Pauperum Aduocatum, & Procuratorem in fine præsentis Synodi deputamus, quibus, vel altero eorum impedito per nostros Vicarios Generales alius deputetur, qui si renuerit, inhabilis ad Ecclesiastica negotia pertractanda nostro arbitrio erit.

VIII. Notarij, & Actuarij Curiæ Ecclesiasticæ se fideliter officium administraturos, ac in actis, instrumentis, scripturis, Processibus nunquam veritatem mutaturos iureiurando in sui officij initio promittent.

IX. Acta, processus, instrumenta, scripturæ, cæteraque quomodolibet ad nostrum forum spectantia ità in nostro Archiuio seruentur, vt ea nemini liceat ab eo extrahere. Inobedientes grauissimas dabunt pœnas.

X. In actis scribendis Antecessoris nostri Zacchiæ decretum seruetur, ac apud Cancellarium infrascripti sint libri, in quibus omnia distinctè suis locis scribantur: Nempè.

Acto-

Actorum Ciuilium.
Testium Ciuilium.
Actorum Criminalium.
Querelarum.
Testium Criminalium.
Sententiarum.
Processuum Diuersorum.
Damnorum datorum.
Registri Supplicationum.
Iurium Eccesiasticorum.
Instrumentorum Ecclesiasticorum.
Bullarum.
Fideiussionum, pacium, & præceptorum.
Sacræ Inquisitionis.
Actorum in Visitatione.

Cum verò aliquis prædictorum librorum defecerit, Cancellarius aureo pro quocumque libro mulctabitur, ac ad expensas, & damna tenebitur.

Confirmatio Præcedentium Synodorum.

PRædecessorum nostrorum Synodos tandem in omnibus his,in quibus in præsenti Synodo diuersè decretum non sit, confirmamus, & approbamus,ac pro confirmatis & approbatis haberi volumus, &mandamus, ita vt si de verbo ad verbum hic expressæ essent, declarantes tamen quoad excom-

communicationes, suspensiones, casuum reseruationes, & Censuras non alias à Nobis confirmari, quam illas, quas in præsenti Synodo posuimus.

Deo gratias, & Mariæ.

Offi-

Officialium in hac Synodo deputatorum, nomina, & munera.

Iudices Synodales.

Petrus Alexander Procaccinus I.V.D. Prothonot. Apost. Vicarius Gen. Montis Falisci.

Victor Fœlix Coucci V.I.D. Prothonot. Apost. Ecclesiæ Cathedralis Montis Falisci Decanus.

Carolus Scacchia I.V.D. Prothonot. Apost. Ecclesiæ Cathedralis Corneti Archidiaconus.

Lucas Cornelius Prothonot. Apost. Ecclesiæ Cathedralis Montis Falisci Sacrista.

Petrus Cammillus Falgarius I. V. D. Prothonotar. Apostol. Archipresbyter Ecclesiæ S. Leonardi Corneti.

Examinatores Synodales;

Petrus Alexander Procaccinus Vicarius Generalis antedictus.

Victor Fœlix Coucci Decanus antedictus.

Carolus Scacchia Archidiaconus antedictus.

Lucas Cornelius Sacrista antedictus.

Dominicus Fascetti Ecclesiæ Cathedralis Corneti Præpositus.

Angelus Blasini Ecclesiæ Cathedralis Montis Falisci Archipræsbyter.

Petrus Cammillus Falgarius Archipresbyter antedictus.

Carolus de Nobilibus Canonicus.

Bonauentura Verdutius Canonicus.

Laurentius Fedeli I. V. D. Canonicus Pœnitentiarius.

Iulius Duchetti Canonicus.

Benedictus Patriarcha Canonicus.

Io: Paulus Veni Rector Ecclesiæ Parochialis S. Antonij Cornetí.

Io: Baptista Cassioni Rector Ecclesiæ Parochialis S. Pancratij eiusdem Ciuitatis.

Iacobus Petronij Archipresbyter Terræ Cryptarum.

Bernardinus Noccioli eiusdem Terræ Canonicus.

Ioseph Saladini Archipresbyter Terræ Celleni.

Bartholomæus Falaschi Archipresbyter Terræ Capitis Montium.

Dominicus Duranti Sac. Theolog. Doct. Sacerdos, & Seminarij Rector.

Laurentius Galli Sacerdos.

Franciscus Cauoni Sacerdos.

P. Alexander Ghimazzini Ordinis Seruorum Sac. Theol. Mag.

P. Nicolaus Meconi eiusdem Ordinis Sac. Theol. Magist.

P. Ioannes Chappuis eiusdem Ord. S. Theol. Mag.

P. Pau-

P. Paulus Fulloni Ord. Minim. S. Francisci de Paula S. Theol. Lector.

P. Io: Franciscus Francefchini Ord. Min. Conuent. S. Francisci S. Theol. Baccalaureus.

Deputati pro disciplina Seminarij.

Victor Fœlix Coucci Decanus antedictus.
Angelus Blasini Archipresbyter antedictus.

Pro administratione Œconomica eiusdem.

Lucas Cornelius Sacrista antedictus.
Bonauentura Verdutij Canonicus antedictus.
Angelus Processi Ecclesiæ Cathedralis Montis Falisci Cappellaneus Beneficiatus.
Vincentius Secci eiusdem Ecclesię Cappellaneus Beneficiatus.

Præfecti Doctrinæ Christianæ in Monte Falisco.

Victor Fœlix Coucci Decanus prædictus.
Lucas Cornelius Sacrista prædictus.
Angelus Blasini Archipresbyter prædictus.
Iacobus Falisci Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Philippus Victorij I.V.D. Ecclesiæ Cathedralis Canonicus.
Iulius Duchetti Canonicus antedictus.

Marianus Parensi Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Parochi omnes.

Corneti.

Benedictus Patriarcha Canonicus prædictus.
Vlisses Scalza Canonicus Ecclesiæ Cathedralis.
Parochi omnes.

In Diœcesi.

Parochi omnes.

Aduocatus Pauperum, & locorum Piorum in Monte Falisco.

Tranquillus Bisensi I.V.D.

Procurator.

Ioseph Ciucci.

Aduocatus Pauperum, & Locorum Piorum Corneti.

Io:Carolus Maria Fulgenzi I.V.D.

Procurator.

Benedictus Patriarcha Canonicus prædictus.

Reui-

Reuisores onerum Missarum, & computorum Confraternitatum in Monte Falisco.

Bonauentura Verdutius Canonicus prædictus.
Matthæus Bizzarri Ecclesiæ Cathedralis Cappellaneus Beneficiatus.

Corneti.

Dominicus Fascetti Præpositus supradictus.
Franciscus Martellacci Ecclesiæ Cathedralis Canonicus.

Præfecti disciplinæ Ecclesiasticæ in Monte Falisco.

Angelus Blasini Archipresbyter prædictus.
Philippus Victorij Canonicus antedictus.

Corneti.

Petrus Cammillus Falgari Archipresbyter prædictus.
Benedictus Patriarcha Canonicus supradictus.

Visitatores Hospitalium, & Carcerum in Monte Falisco.

Lucas Cornelij Sacrista.

Iaco-

Iacobus Falisci Canonicus.
Angelus Victorij I.V.D.
Angelus Iusti Notarius.

Corneti.

Dominicus Fascetti Præpositus.

Punctatores.

Pro Cathedrali Montis Falisci, Angelus Processi Cappellanus Beneficiatus.
Pro Cathedrali Corneti, Vlisses Scalza Canonicus.
Pro Collegiata Gradularum, Io: Antonius Christophori Canonicus.
Pro Collegiata Valentani, Franciscus Vaiani Canonicus.
Pro Collegiata Marthæ, Petrus Paulus de Monte Canonicus.
Pro Collegiata Cryptarum, Bernardinus Noccioli Canonicus.
Pro Collegiata S.Laurentij, Dominicus Tani Canonicus.

LAVS DEO.

INDEX

INDEX

Rerum omnium locupletissimus, quæ in Synodo continentur.

Prior numerus paginam, secundus paragraphum indicat.

Alta-

Banni-

B

Bannitus.

C

Census

Census.

Chirurgus.

Chorus.

Clauis.

Clericus.

Con-

à vi-

Confratres.

Diaconi.

Dignitas.

Dimissoriæ.

Distributiones.

Doctrina Christiana.

Domus.

E

Ecclesia. Vide *sepultura*, *Altare*, *Aqua lustralis*.

sa

Eu-

F

Festi dies.

Fides.

Fons.

Funus.

H

Hæbræi.

Hæretici.

Horæ Canonicæ. Vide *Officium diuinum*.

Hospitale.

I

Ieiunium.

Imagines.

Immunitas. Vide *Trabentes, extrahentes, Bona Ecclesiastica Lis.*

Indulgentiæ.

Indumenta Sacerdotalia.

Inuentarium.

M

Mo-

N

Notarii.

O

Obstetrix.

Officialis.

Officium.

P

in

quartum

Reliquiæ.

Repræsentationes.

S

Sacerdos.

Sacramenta. Vide *Clauis*.

Scri-

Sup-

T

Trabes.

Trahentes.

Tur-

V

Index propositionum damnatarum ab Alexan. VII. Innoc. XI. & Alexan. VIII. in gratiam Sacerdotum simul hic positarum.

Feria 5. die 24. Septembris 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D.N.D. Alexandro Diuina Prouidentia Papæ VII. ac Eminentiss. & Reuerendiss. DD.S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.

SAnctissimus D.N. audiuit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianę disciplinæ relaxatiuas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquitùs iterum suscitari, partim nouitèr prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Euangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem, si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quarè, ne vllo vnquã tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent; arctam esse definiuit, in animarum perniciem dilatari, seù veriùs per-

uerti contingeret, idem Sanctissimus D.N. vt oues sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam euocaret, earumdem opinionum examē pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deindè EE. & Reuerendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus inquisitoribus seriò commisit: Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis vsque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super vnaquaque ipsarum sua suffragia sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

1. Homo nullo vnquam vitę suę tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris, ad duellum prouocatus, potest illud acceptare, nè timiditatis notā apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quādo publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, an. 1629. 18. Iulij in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

4. Quamuis euidentèr tibi constet Petrum esse hereticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tri-

tribuit Pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proindè non est denunciandus.

7. Modus euadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est: Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absoluere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Vrbani VIII.

9. Post Decretũ Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.

10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre; Neq; etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seù oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam,

satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eò quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contrà iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente non exi-

git

git illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre nō tenebatur.

23. Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortalitèr, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà, quia non vult se subijcere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideòq; sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Cōfessionis præcepto, dicens; commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem, non explicando copulā.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio.

27. Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dùm non constet, reiectam esse à Sede Apostolica tanquàm improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum, examini cura, & studium impenditur, intereà idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decreuit, prædictas Propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimùm, tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ità vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impu-

gnan-

gnando ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolui.

Insupèr districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Diuini iudicij prohibet omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanę, & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto Indictione tertia, die verò secunda mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

Feria 5. *die* 18. *Martij* 1666.

In Congregatione generali Sanctę Romanę, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apost. Montis Quirinalis coram Sanctiss. D.N.D. Alexandro Diuina Prouidentia Papa VII. ac EE. & Reuerendiss. DD. S. R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersùs hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter Deputatis.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die 24. Septembris proximè elapsi, quo viginto octo

Pro-

Propositiones damnatæ fuerunt,examinatis sedulò,& accuratè vsq; ad hanc diem infrascriptis alijs quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros,ac per Eminentissimos, & Reuerendiss. Dominos Cardinales aduersus hæreticam prauitatem Generales Inqnisitores, eorum suffragia singillatim super vnaquaque ipsarum audiuit.

29. In die ieiunij, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant,sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare,an labor sit cõpatibilis cũ ieiunio.

31. Excusantur absolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiamsi iter vnius diei conficiant.

32. Non est euidens, quod consuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosinas,quas anteà Beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientię vti priuilegijs suis, quæ sunt exprefsè reuocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & reuocatæ

catæ à Paulo V. hodiæ sunt reualidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejciendam concubinam, si hæc nimis vtilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgò *regalo*, dum deficiente illo, nimis ęgrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inueniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid vltrà sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, vsque dùm adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, Idem Sanctissimus statuit; ac decreuit, prædictas Propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimùm, tanquàm scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat,

nat, ac prohibet; itàut quicumque illas, aut coniunctìm, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſtifidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ & Vniuerſalis Inquiſitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D.N. IESV CHRISTI milleſimo ſexenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione quarta, die verò 25. menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Alexandri, Diuina Prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiuſdem Sanctiſſ. D.N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

Feria v. die 2. Martij 1676.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ. & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. D. Innocentio Diuina Prouidentia PP. XI. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ouium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxijs doctrinarum pascuis ab innoxijs à fel. rec. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partìm ex diuersis, vel libris, vel thesibus, seù scriptis excerptas, & partìm nouitèr adinuentas Theologorum plurium examini, & deindè Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus contra hęreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus subiecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpius discussis eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis. Idem Sanctissimus D. N. re posteà maturè considerata, statuit, & decreuit pro nunc sequentes propositiones, & vnamquamque ipsarum, sicut iacent, vt minimùm tamquàm scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non inten-

intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretũ alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suę quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas vllatenùs approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabilitèr existimo, Iudicem posse iudicare iuxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatìm dum probabilitate, siue intrinseca, siue extrinseca quantumuis tenui, modò a probalitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tàntùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, nè singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare pręceptum charitatis erga Deum.

7. Tùnc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus.

8. Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non ob-

ſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus Coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Pręcepto Proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus inuenies, etiàm in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ità vix aliquis tenetur ad eleemoſinam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu appetere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitùm eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris non quidem, vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hęreditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias, indè ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

17. Satìs eſt, actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo,

lo, tacere, vt peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere vt assensus fidei in seipso sit magìs firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudentèr repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili reuelationis; immò cùm formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autē explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum, similiuè motiuo ad iustificationem sufficit.

24. Vocare Deum in Testem mendacij leuis non est tanta irreuerentia, propterquam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, siuè res sit leuis, siuè grauis.

26. Si quis, vel solus, vel coram alijs, siuè interrogatus, siuè propria spontè, siuè recreationis causa, siuè quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est periurus.

27. Causa iusta vtendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet

bet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio censeatur tùnc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Vrgens metus grauis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere inuasorem, qui nititur calumniam inferre, si alitèr hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impictam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conseruatione vnius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus,& quę nos possessuros speramus.

33. Licitum est tàm hæredi, quàm legatario contrà iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se talitèr defendere, sicut & ius habenti in Cathedram,vel Præbendam contra eorum possessionem iniuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa grauida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quandiù

in

in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac conſequentèr dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuã, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem Perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cùm intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid vltrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari.

42. Vſura non eſt dum vltrà ſortem aliquid exigitur tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex iuſtitia debitum.

43. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

44. Pro-

44. Probabile est non peccare mortalitèr, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquàm motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiàm quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motiuum dandi spirituale; immò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles, ipsi iudicauerint, ad Ecclesias promouent, Concilium; vel primò videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparatiuo pro positiuo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nulla inuoluere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & ali-

aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cùm coniugata, conſentiente marito non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcientèr adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multotiès eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortalitèr, ſi faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas partes, immò quatuor ſimul à diuerſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentilitèr viuunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

59. Licet ſacramentalitèr abſoluere dimidiatè tan-

tùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicuius festiuitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi nõ est fugiẽda, quandò causa aliqua vtilis, aut honesta nõ fugiẽdi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumuis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semèl credidisse.

Quicumque autem cuiusuis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diuisim defenderit, vel de eis disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, vel prædicauerit, nisi forsàn impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præter

quam

quam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insupèr districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christifidelibus, cuiuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandèm, vt ab iniuriosis contentionibus Doctores, seù Scholastici, aut alij quicumque imposterùm se abstineant, & vt paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, vt tàm in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caueant ab omni censura, & nota, necnon à quibuscumque conuicijs contra eas propositiones, quę adhùc inter Catholicos hinc indè controuertuntur, donèc à S. Sede recognita super ijsdem propositionibus iudicium proferatur.

Franciscus Riccardus Sanctę Romanę & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Indictione secunda, die verò 4. mensis Martij, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentij diuina Prouidentia Papæ XI. anno tertio supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis & consuetis Vrbis per me Franciscum Perinum eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Feria 5. *Die* 24. *Augusti* 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D.N.D. Alexandro Diuina Prouidentia Papa VIII. ac Eminentiss. & Reuerendiss. DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersùs Hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialitèr deputatis.

SAnctissimus D.N. Alexander Papa VIII. non sine magno animi sui mærore audiuit duas Theses, seù Propositiones, vnam denuò, & in maiorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de nouo erumpere; Et cùm sui Pastoralis Officij munus sit, Oues sibi creditas à noxijs pascuis auertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, siuè Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deindè Eminentiss. & Reuerendiss. DD. Cardinalibus contrà Hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus sedulò commisit, qui pluries re maturè discussa infrascriptis Thesibus, seù Propositionibus super vnaquaquè ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillàtim exposuerunt.

1. Bonitas obiectiua consistit in conuenientia obiecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cùm regula morum. Ad hoc sufficit, vt actus moralis tendat in finem vltimum interpretatiuè: --*Hunc Homo non tenetur amare, neq; in princi-*

pio,

pio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

2. Peccatum philosophicum, seù morale est actus humanus disconueniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Diuinę legis. Philosophicum quantumuis graue in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est graue peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissoluens amicitiam Dei, neque æterna pæna dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus omnibus plenè, & maturè consideratis, primam Thesem, seù Propositionem declarauit hæreticam, & vti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in iure expressis; Secundam Thesem, seù Propositionem declarauit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensiuam, & erroneam, & vti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, ita vt quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputauerit publicè, seù priuatim, tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquã in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui. Insuper districtè in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumquè conditionis, Dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesem, seù Propositionem

positionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Die 24. Augusti 1690. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatij S. Officij, in acie Campi Floræ, ac alijs locis solitis, & consuetis Vrbis per me Franciscum Perinum SS. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

Feria V. Die VII. Decembris 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coràm Sanctissimo D. N. D. ALEXANDRO Diuina Prouidentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra Hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus, à Sancta Sede Apostolica specialitèr deputatis.

SAnctissimus D.N. ALEXANDER Diuina Prouidentia Papa VIII. prædictus: Pro pastorali cura Ouium à CHRISTO Domino sibi commissa de earum salute sollicitus, vt inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimiùm perniciosa in prauis doctrinis exhibita vitare, vnius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deindè Eminentissimis, ac Reuerendissimis DD. Cardinalibus contrà Hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negocium diligentèr aggressi, eique sedu-

ſeduló, ac pluries incumbentes, ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatìm detulerunt.

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ videlicet.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tametſi detur ignorantia inuincibilis iuris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Iudæi, Hæretici, alijque huius generis nullum omninò accipiunt à Ieſu Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tàm vtilis, quàm pernicioſa eſt, ſic vt proindè meritò poſſimus petere, a gratia ſufficienti *Libera nos Domine*.

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi, ſi Dei, Charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

9. Reuera peccat, qui odio habet peccatum merè ob eius turpitudinem, & diſconuenientiam cum natura

tura rationali, sine vllo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè vt Cęlestem obtineat Gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Diuina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione beneuolentiæ Dei, propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absoluendi, ordo pœnitentiæ est inuersus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro vsu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato otiginali.

20. Con

20. Confessiones apud Religiosos factæ, plerę-que, vel sacrilegæ sunt, vel inualidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui Eleemosynis communibus viuunt, de imponenda nimis leui, & incongrua pœnitentia, seù satisfactione ob quæstum, seù lucrum subsidij temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad Communionem percipiendam prætendunt, antequàm condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similitèr arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficientèr testantur, quòd indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundùm verba legis.

25. Dei Patris sedentis Simulacrũ nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ, vt Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris &c.* prætermissis illis, *Ego te Baptizo*.

28. Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obseruat, intus verò in corde suo apud se resoluit, *Non intendo facere, quod facit Ecclesia*.

 29. Fu-

29. Futilis, & toties conuulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Vbi quis inuenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad vllam Pontificis Bullam.

31. Bulla Vrbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis idem Sanctissimus statuit, & decreuit 31. supradictas Propositiones tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, iniuriosas, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas respectiuè, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, itaut quicumq; illas, aut coniunctìm, aut diuisìm docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiã disputatiuè, publicè, aut priuatìm tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolui.

Insupèr districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christifidelibus, cuiuscumque conditionis, Dignitatis, & Status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne predictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in maiori numero vltrà supradictas 31. iam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.

Alexander Speronus S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo nonagesimo, Indict. 13. die 20. Decemb. Pontificatus autem SS. D. N. D. ALEXANDRI Diuina Prouidentia PP. VIII. Anno secundo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatij S. Officij, in acie Campi Floræ, ac alijs locis solitis, & consuetis Vrbis per me Franciscum Perinum SS. D. N. PP. & SS. Inquisitionis Cursorem.

Io: Baptista de Comitibus Mag. Curs.

DECRETVM

Circa Communionem Quotidianam.

CVM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio peruenerit in quibusdam Diœcesibus vigere vsum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceuæ, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse à iure Diuino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inoleuisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in priuatis Oratorijs, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes vlla grauis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes sæculares, aut Regulares; alijque in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandèm quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio præuia matura discussione super prædictis vnanimi sententia ità censuit: Etsi frequens quotidianusue Sacrosanctæ Eucharistiæ vsus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpiùs illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Triden-

tinum

tinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicauit, cùm inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; Idque non immeritò; multiplices enim sunt, conscientiarum recessus, variæ ob negocia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona paruulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cuiusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis æsu poteſt constitui. Et propterea quod ad negociatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarũ puritate,& frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negociatoribus, & Coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Coniugatis autem hoc ampliùs animaduertent, cùm B. Apostolus nolit eos inuicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacent orationi eos seriò admoneant, tantò magìs ob Sacratissimæ Eucharistiæ reuerentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conueniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum inuigilabit, non vt à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione vnica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generali-

ralitèr constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seù Confessarios sibi decernendum putet; Illudque omninò prouideat, vt nemo à Sacro Conuiuio seù frequentèr, seù quotidiè accesserit, repellatur; & nihilominùs det operam, vt vnusquisque dignè pro deuotionis, & præparationis modo rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis suauitatem degustet. Itidem Moniales quotidiè Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, vt in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eniteant, & feruore spiritus ita incaluerint, vt dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum vti, & cum eis constitutum haberi, vt cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimq; ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem deuoto studio excitantur, debere, siuè Laici negociatores sint, siuè Coniugati, siuè quicumque alij suam agnoscere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti, ac Diuini iudicij formidine discant cælestem mensam, in qua Christus est, reuereri. Et si quando se minus paratos senserint, abea abstinere, seque ad maiorem præparationem accingere; Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget huiusmodi

modi deuotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & iudicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, vt omnis irreuerentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur: Quod abundè continget, si ij, qui deuoto huiusmodi studio, diuina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentiùs refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueuerint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cęlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, vt suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seù Confessarij redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de iure diuino, doceantin Ecclesijs, seù Oratorijs priuatis, ex dispensatione, seù Priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam vllo modo deferendam in Crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa iuxtà formam Ritualis Romani; Si verò ab Oratorio priuilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, vt circa Communionem in feria sexta Parasceuæ,

sceuæ, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ vsus seruentur; Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seù particulas, neque grandiores, sed consuetas; Non permittant, vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarij etiam Regulares, aut quicunque alij Sacerdotes secùs egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum iustam, ac rigorosam animaduersionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Iesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbauit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c. Datum Romæ 12. Februarij 1679.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiep. Brancaccius Episc. Viterb. Sec.

Die 15. mensis Februarij 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Vrbem ad valuas Curiæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Aegidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem pro D. Magistro Cursorum Gregorius Staggius Apost. Curs.

APPENDIX
SYNODI DIOECESANAE

CONTINENS

REGVLAS SEMINARII,

ALIAQVE AD PAROCHORVM

COMMODITATEM.

DE
REGVLIS PERTINENTIBVS
Ad vniuersum Seminarij regimen.

De gubernatione Spirituali. Cap. I.

TRansacto vacationum tempore reuersi in Seminarium exercitationes Spirituales vnius saltem hebdomadæ spatio illi ineant Clerici, quibus à Rectore iussum fuerit.

Idem ab his præstetur, qui singulis annis in Seminariū recipientur; & eodem modo, qui ad maiores ordines sunt promouendi.

Quod si vnus tantum sit, differatur in aliud tempus commodius.

Detur opera, vt omnis ex Clericorum mentibus sitis, & auiditas Beneficiorum tollatur; ac proinde videatur, vt ea de re ne ipsi quidē inter se colloquantur.

Singulis diebus festis mittat Rector certū Clericorum numerū, qui Diuinis Officij inseruiat, & intersit, suoque arbitratu constituat, vt minorum ordinum functiones Clerici exerceant.

Cum in Ecclesia Cathedrali solemnes processiones, & generales habebuntur, eas Clerici semper obeant.

Rituum, ac Cęremoniarum Ecclesiasticarum vsum omnes rectè teneant, easq; decorè quantum fieri possit, præstare studeant, in quo vt magis proficiant, & alijs quoque prosint, hoc institutum perpetuò teneatur, vt

ſemel ſingulis menſibus, plus,minuſue, vt Rectori videbitur, lectionem aliquam ea de re in Cænaculo habeant, ac ex significationibus rituum eorum, ac Cæremoniarum Eccleſiaſticarum aliqua documenta ad mores pertinentia ad Populi inſtitutionem eruere ſtudeant, paratique sint, vt idem in Menſa Reuerendiſsimi,cum imperabitur,præſtent.

Omnes Seminarij Clerici, qui primæ tonſuræ, aut alicui Sacro Ordini aſcribendi erunt, teſtimonia de vita, & moribus, & aliarum rerum, quæ requiruntur, teſtificationes Rectori afferant, qui Menſe antè ſtata Sacræ Ordinationis tempora Reuerendiſs. Epiſcopo significet,tũ ex præſcripta forma denunciationes fiãt.

Si quid interdum graue acciderit, quod præſenti remedio indigeat, Rector deliberet, quid facto opus sit, quàm primum deinde omnia Reuerendiſs.Epiſcopo referantur.

Nulli omninò, qui extrà Seminarium viuat, cum Clericis in Seminario degentibus verſari, aut etiam colloqui sine Rectoris facultate liceat; quod idem ijs, qui de familia Epiſcopi erunt,atque ideò ipsis officialibus deputatis ad Seminarij regimen interdictũ eſſe volumus, nisi id de mandato Reu. Epiſcopi faciant.

De ſtudijs. Cap. II.

VT ſtudia Clericorum maiore, quo fieri poſſit, ordine procedant, ſtatuimus, vt in Seminario

ſint

sint infrascriptæ classes, videlicet.

Prima Grammaticæ, quæ rursus in duos diuidatur ordines, inferiorem scilicet, & superiorem. In inferiori exerceantur adolescentes per inferiores regulas Emanuelis, quæ eis explicabuntur, & exercitabuntur in exponendis Epistolis Ciceronis breuioribus, & in componendis latinis. In Superiori ordine explicentur regulæ omnes Emanuelis, vsque ad prosodiam exclusiuè, & proponantur themata aliquantùm difficiliora, & longiora, & explicetur manè Ciceronis liber Epistolarum familiarium: à prandio autem Ouidius de Tristibus, vel de Ponto, aut aliquis ex Virgilio liber facilior post festum Paschatis, quas omnes lectiones sequenti die, tùm mane, tùm vesperi, statim ac in gymnasium venerint, memoriter recitent.

Secunda Classis erit humanitatis, quæ in duos pariter distinguetur ordines, quorum inferiori proponantur difficiliora dictata, quæ eleganter in latinum sermonem vertant; deindè proponantur argumenta Epistolarum, quas proprio marte conscribant Italicè, & Latinè.

Superioris autem Ordinis Adolescentes in Chrijs, alijsque exercitationibus detineantur, & in stylo, & compositione eleganti exerceantur. Explicetur illis liber Ciceronis de Officijs, quæ quidem explicatio, spatio semihoræ concludatur; tùm altera semihora detur repetitionibus, dictatorumque emendationi.

In explanandis Poetis, ſi aliquid minus honeſtum occurrat, relinquatur. Tranſactis primis ſex menſibus Rethorica Cypriani, & aliqua ex Ciceronis orationibus facilioribus explicetur, ſcilicèt pro M. Marcello, pro Archia, pro Milone &c. Et quotidie aliqua Cathechiſmi pars explicetur, & memoriter pronuncietur.

Ex hac Claſſe deligantur, qui deindè varijs diſciplinis incumbant, prout in litteris humanioribus profecerint, animaduerſo cuiuſque ingenij acumine, ſtylo, & elegantia; inſuper & ætate Sacerdotio magìs, vel minùs propinqua.

Qui nullam, aut exiguam ſpem proficiendi præbent in literis humanioribus, & orationum compoſitione, ad Rhetoricam non admittantur; at ſi vigeſimum primum annum attigerint, nec prorsùs inepti ſint ad Logicam; Illis ſcientijs operam dent vnius anni ſpatio, reliquos duos annos caſibus Conſcientię, Cathechiſmo, Sacræ Scripturæ, & Rethoricę Eccleſiaſticæ operam dabunt.

Nemini ad Philoſopiam pateat aditus, qui per biennium ſaltem Theologiæ ſtudio operam daturus non ſit. Qui ad decimum nonum etatis annum peruenerint, & ſingulare quoddam lumen in eis eluceat, pateat illis aditus ad Logicam, & Philoſophiæ curriculum, reliquum tempus Theologiæ impendant.

Qui ad Rhetoricæ ſtudia idoneos ſe oſtendunt, & nondum decimum octauum ætatis ſuæ annum compleuerint, ad Rhetoricam admittantur, deindè

ad

ad Philosophiam, Theologiam &c.

E Seminario verò dimittentur, qui aliqua ratione non ostenderint se idoneos Sacerdotes, ad animarum curationem euadere posse, cum non ea de causa sit Seminarium institutum, vt in eo simplices Sacerdotes sibi tantum vtiles futuri, educentur.

Omnès Clerici cuiusque Classis doctrinam Christianam memoriæ mandent, & firmiter retinere studeant.

Ratio explicandi lectionem Cathechismi erit, vt exactè, & ferè scolasticæ explicetur; ità tamen vt spatio duorum annorum præcipuæ partes absoluantur.

Lectio Scripturæ Sacræ, non scholastico more, sed tanquam Theologia positiua explanetur; doceantque Adolescentes modum eam Populo tradendi, iuxtà præcepta exposita in Rhetorica Ecclesiastica.

Lectio denique Casuum Conscientiæ quotidiè habeatur, cui adiungatur explicatio aliqua ex confessionali, vt rectè discant praxim sacramenti pœnitentiæ administrandi.

Crebrò, & accuratè examina, repetitiones, disputationes habeantur.

Qui breui Sacerdotio sunt initiandi, diligenter instruantur in his, quæ ad Canonis expositionem, ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & ad Missæ Mysteria pertineant.

Qui Rhetoricæ dant operam diebus festis, & rela-

xationis diebus, ea quæ per hebdomadam tum soluta, tum adstricta numeris oratione cōposuerint publicè, cæteris in Seminario legenda exponant, & hoc à Resurrectione, vsque ad vacationes.

Se exerceant omnes in eo maximè, vt tùm latinam, tùm vulgarem italicam linguam emendatè pronuncient, ac propterea alternatim, iuxta Rectoris præscriptum ad primam, & secundam mensam legant semper, nisi ab aliquo concio sit habenda.

De Exercitatione Clericorum In Concionibus habendis. Cap. III.

Diebus festis, & in aduentu Illustrissimorum Virorum Cōciones à Clericis in cænaculo è suggestu habeantur; omnesque in hoc munere se exerceant, præsertim ij, qui Rethoricæ studio operam dabunt.

Ex his omnibus, qui iudicio Rectoris, magis idonei censebuntur, mittantur per vices festis solemnibus, & in aduentu Illustrium Virorum in Aedes Episcopales, qui ad mensam Reuerendissimi Episcopi, vel Latinè orent, vel Italicè concionentur, accomodatè ad diem festum, vel Euangelium, quod in Sacro pronunciatum fuerit. Neque verò quisquam conciones in Episcopalibus Aedibus habeat, qui eas prius in Seminario non recitauerit. Qui propter obuectam ætatem, ingenij tarditatem, non multum in hoc assequi posse videbuntur, satis erit si tantum proficiant, vt saltem ad Altare Parochorum more ser-

mo-

mones habere possint, ita tamen, ne quidquam ab Ecclesia, aut Patribus alienum proferant. Quapropter hi instituantur, vt initio quidem conciones ad verbum scribant: deindè verò capita tantum notent. His pro themate proponantur Euangelia diebus festis totius anni occurrentia, in quibus curetur, primò vt sensum literalem teneant; demum aliqua documenta ad mores instruendos spectantia in promptu habeant.

De Cantu & Scriptione. Cap. IV.

LEctiones Cantus, qui firmus dicitur, omnes quotidie adeant, idque statim à prandio; æstiuo tempore vnius horæ spatio; alijs verò temporibus horæ dimidiæ tantùm.

Peritiores in Cantu prima elementa Tyronibus tradant, & sciant omnes, cum imposterum ordinem sacrum suscepturi fuerint, etiam de peritia cantus sibi examen esse subeundum.

Omnes à Paschate, vsque ad vacationes singulis diebus vnam horam dent, vt eleganter, & graphicè literas pingere discant, primò quidē à Preceptore conducto; deindè ipsi vicissim alios doceant, vt à Rectore mandatum fuerit.

De Gubernatione Temporali.

De Mensa. Cap. V.

PRima, & secunda extruetur mensa, vt qui primæ non possunt, secundæ accumbant mensæ.

An

Antèquam discumbant, Rector benedicat mensam; eoque absente, qui proximè post Rectorem loco in mensa adest; Vbi finem fecerint edendi, Deo gratias agant, vtroque in munere omnes stantes detecto capite reuerenter respondeant.

. Lectio in mensa cum in prima, tùm in secunda perpetuò adhibeatur; primùm quidem vnius capitis ex Sacra Scriptura; deindè alterius ex martyrologio, tum reliquum tempus consumetur in lectione alicuius pij libri, qui Italico sermone conscriptus sit, nisi loco lectionis statis diebus aliquis ex Clericis, vel Latinè oret, vel Italice concionetur.

Fercula Clericis duo apponantur manè, & vesperi Iurulentum alterum, alterum obnoxium pro temporis ratione statutæ quantitatis. Festis autem, & diebus Ieiunij, & cum abstinetur, dictis duobus addatur tertium pro prima, vel extrema esca, tempore verò relaxationis mane addatur quartum; Vespere autem primum, aut vltimum detrahatur: Superioribus preter Iurulentum ferculum, & obsonium apponatur prima, & postrema esca; & Ieiunij tempore duplex adhibeatur obsonij portio.

Per hyemem manè à prandio vespere à Cęna excitetur ignis ad recreandum animum in singulis locis assignatis, poterit tamen accendi alia hora cum Superiori videbitur ob iustam causam.

Singulis tribus mensibus certior fiat Episcopus de numero Clericorum, qui in Seminario morantur, ingrediuntur, & egrediuntur, & de duodena quæ soluitur.

Non

Non recipiantur in Seminario Clerici post ferias autumnales, nisi planè satisfecerint pro duodena, quam soluunt non solùm pro tempore transacto, sed etiam pro futuris sex mensibus pro quibus soluere eam debent.

Clerici quibus aliqua conceditur facultas accedendi ad proprias domos, si tempore eisdem præscripto non reuertentur, nec recipiantur in Seminarium sine expressa Reuerendissimi Episcopi licentia.

Habeatur perpetuò Congregatio Seminarij in Aedibus Episcopalibus semel in hebdomada, sæpiùs etiã si opus erit, & huic Congregationi intersint in his, quæ ad mores pertinent, selecti ab Episcopo pro moribus: In temporali administratione electi pro rebus temporalibus, & præter alios Rector Seminarij, & etiam aliquando vocandi ministri erunt pro negotijs tractandis. Res omnes in Congregatione inita de quibus fuit consultatio ad Reuendissimum Episcopum, cum ipse Congregationi non interfuerit, referatur, qui siue Congregationi intersit, siue non, vbi deputatorum sententiam audierit, quam tamen sequi non tenetur, ipse deliberabit, & statuet quæcunque pro sua pietate, & prudentia ad Seminarij vtilitatem potiora esse existimauerit: Quidquid deinde Reuerendissimo Episcopo videbitur Rector ipse quamprimum, & diligenter exequatur, nisi alium Episcopus delegauerit.

Habeatur liber, quem magistrum appellant, in quo à Supputatore rationes accepti, & expensi describantur.

tur : reddituum ad Seminarium quouis modo spectantium, in eoque, vel altero inuentarium domesticę suppellectilis describatur.

Habeatur item liber, in quo dietim Clericorum nomina, qui admissi fuerint, describantur, & si annuatim aliquid soluant.

Conficiatur item liber in quem referatur status omnium Clericorum, atque hi quidem libri omnes, sicut & alia omnia scripta Iurium, ac bonorum in Archiuio Seminarij asseruentur.

Capsa pecuniarum asseruetur in Monte Pietatis, nisi aliter visum fuerit Reuerendissimo pro tempore Episcopo: in eadem asseruetur liber, in quo describantur distinctè, & accuratè pecuniæ omnes, dum in ea reponuntur cum memoria singillatim descripta, cuius causa receptæ sint; Nec pecunias in ea repositas nullus extrahere possit sine mandato Reuerendissimi Episcopi.

Minister Clericorum omnium, qui in Seminario degunt, pecuniam asseruet, neque ipse expendat in alium vsum, aut Clericis restituat sine Rectoris facultate.

CON-

CONSTITVTIONES, ET REGVLÆ

Ad Clericos Seminarij pertinentes.

De Scopo Clericorum Seminarij.

C A P V T I.

ADolescentes, qui singulari Dei beneficio sunt delecti, vt in Seminario instituantur, id potissimum intelligere debent, cuius gratia Concilij Tridentini Decreto Seminaria instituta sint; & intelligentes, sæpius animo repetere, omnesque neruos intendere, vt illud diuina ope suffragante, ad animarum salutem, ad Ecclesiæ vtilitatem, & Pastorum solatium consequantur.

Quòd si qui propter improbitatē, aut negligentiā, illud minus obtinebunt, aut quia sua ipsi sponte ab Instituto clericalis vitæ recedant, aut suo vitio à Seminario expellantur, vel Episcopo suo parere nolint, in ijs rebus, quæ ad eius Ecclesiæ vtilitatem spectant, cuius sumptibus aluntur, & educantur; grauitèr peccabunt, atquè à Deo tamquam alienæ facultatis vsurpatores, accerrimè punientur.

Sunt igitur eà potissimum de causa seminaria erecta, vt in ijs boni, strenuique operarij ad curationem animarum, quas suo Sanguine pretiosissimo Christus redemit instituantur; & ij quidem adolescentes (qui ob ætatem, cum tenera sit, & procliuior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impressio-

nes admittendas, in operibus virtutum erudiri debent) vt eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in ijs, qui Doctores Populorum futuri sunt, elucere debet, & seuerioribus disciplinæ legibus coercendi.

Cum igitur duo præcipue in Sacerdote, & animarum Pastore requirantur, probitas videlicet, ac doctrina, earum vtraque in Seminarijs est comparanda. At sicut probitatis maior est necessitas, quam doctrinæ, sic illis in eius studio magis est elaborandum: cum præsertim acquisitio virtutum in vniuscuiusque assiduitate, & industria potiusquam in Rectorum, aut Præceptorum diligentia sit posita, itaut nisi quis laborem adhibeat, non multum, aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura.

Quamobrem vnusquisque sit ea mente, & voluntate, idque sibi quotidie proponat, vt omninò velit in bonum Ministrum pro huius Ecclesiæ Montis falisci adiumento euadere: seque Deo iuuante purum ab omni peccati labe conseruare, sic enim affectus multo facilius Doctrinæ cognitionem accipiet maiore tùm suo, tùm cæterorum emolumento, Beneficijque magnitudinem agnoscens, quod illi tam pręclara sit oblata facultas, toto animo singulis Diebus Deo se offerat, rogetque, vt se ad prædictum finem idoneum efficiat operarium.

Quod si quis decursu temporis de statu mutando consilium caperet, etiamsi de religione ingredienda cogitaret, de eo Reuerendissimum Episcopum vel Rectorem statim certiorem faciat. Peccaret enim si

in

in Seminario hoc animo viueret, in alium finem consumens, quod ad operarios solum pro huius Ecclesiæ auxilio sustentandos est constitutum.

De pijs exercitationibus.

CAPVT II.

Quotidie mane singuli semihoræ spatio mentali orationi vacent: qua perfecta matutinum officium B. M. V. & Primam recitent; Tertiæ verò Sextæ, & Nonæ, tempore à Confessario præfigendo; horas Vesperarum, & Completorij, vespertino tempore post scholas deuotè persoluant.

Singulis diebus omnes Missæ sacrificio intersint, eique vicissim inseruiant. Cum verò Sacerdos secreta quæ vocantur, recitabit, mysteria piè meditentur aut alio modo mente diuinis intendant, prout à Confessore expedire iudicatum fuerit.

A prandio, & cæna in Ecclesiam recta via pergant; ibique orationem Dominicam, & Angelicam salutationem secreto quinquies dicant.

Vesperi post recreationis tempus, signo Campanę dato meditationis rationem reddant; tum in locum constitutum conuenient, vbi futuræ meditationis argumentum accipient.

Quotidie vesperi per quartam horæ partem conscientiam diligenter excutiant.

Dominicis, reliquisque diebus Festis in Ecclesia Seminarij

minarij Missæ maiori, ac Diuinis officijs intersint, illis tamen exceptis, qui Cathedralem obibunt, vt Altari ministrent, cæterasq; sacras functiones exerceant.

Confiteantur omnes Seminarij Confessori peccata sua, saltem prima quaque, & tertia cuiusque mensis Dominica die; diebus prætereà Festis Christi Domini, B. Virginis Matris, Sanctorum Ioannis Baptistæ, Apostolorum, & Sanctæ Margarithæ, omnibusque Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ.

Qui verò Sacris Ordinibus initiati sunt, semper singulis octo diebus: qui alicui sodalitio B. Virginis sunt adscripti, eius leges, & instituta ea de re seruent.

Prima quaque cuiuslibet mensis Dominica die, & solemnibus item totius anni diebus Festis Sacram Eucharistiam sumant; in Aduentu verò, & Quadragesima singulis saltem quindecim diebus: quod idem Diaconi, & Subdiaconi semper præstent.

Quotiescumque autem sumunt siuè in Ecclesia Cathedrali, siuè in Ecclesia Seminarij, aut alia quapiam, superpelliceum induant, idemque faciant quotiescumque Reuerendissimo Episcopo celebrante, ipsi adfuerint. Post Sacram verò communionem in Ecclesia persistentes, in aliqua pia eiusdem Mysterij meditatione quadrantis horæ spatio versentur, nec indè prius discedant, quam per ęedituum signum campanæ datum audierint.

Singuli in cænaculo concionentur, prout moniti fuerint, & semel saltem in hebdomada se in Sacris Ritibus, & cæremonijs ad Ecclesiam spectantibus exer-

exerceant, nisi aliter expedire censebitur.

Opera pietatis, si quando illis à Rectore permissum ferit, studiosè præstent, præcipuè verò in concionandi munere, si modò Diaconi sint, publicè se exerceant, impetrata prius per Rectorem à Reuerendissimo Episcopo facultate.

De Disciplina, & moribus.

CAPVT III.

SVperioribus omnes, & singuli debitam obedientiam, & obseruantiam omninò præstent, coram Rectore autem nec caput operiant, nec assideant, vbicumque illi sint, nisi prius ab eo iussi fuerint.

Quod si Prælatus aliquis, aut vir insignis intersit, caput non tegent, donec iteratò admoniti fuerint.

Siquid à Rectore petierint, repulsamque tulerint, taciti acquiescant; quod si videatur eidem in memoriam reuocandum, id postero die facere possint, ampliùs nullo modo, nisi noua intercedente causa.

Dum aliquid à Rectore petunt rei, loci, & temporis rationem habeant, vt scilicet nihil contra leges, & instituta, nisi vrgente necessitate petant, nihil tempore orationi, aut studijs dicato, nihil in templo, vel sacristia, præsertim si tunc superior sit celebraturus, aut Missam paulò antè perfecerit.

Erga Rectorem ea sint animi affectione, qua filij erga Parentem. Ab eo si quid præter voluntatem imponi-

ponitur, aut negatur, id existiment ad vtilitatem suam referri, pro certo habentes superiores ad id multis duci causis, quæ adolescentes plerumque latent. Eidem Rectori liberè suos sensus exponant, vt illis prout opus fuerit, consulat, cum nihil sit difficiliùs adolescenti, quàm immoderatis animi affectionibus per se moderari.

Quapropter litteras neque mittant ipsi, neque ad se missas aperiant, priusquàm Rectori ostenderint.

Qui aliqua in re Seminarij leges violauerit, Rectorem conueniat, seque delicti sui, ac erroris accuset.

Si quid ex illis Reuerendissimus Episcopus scire voluerit, id simplicitèr, sincerèque aperiant.

Quod si crimen aliquod suum deferri contingat, Auctorem non quærant, rescientes autem nullam malè erga illum affecti animi significationem dent; conentur potiùs imposterum meliores fieri, neque ea admittere, proptèr quæ meritò possint accusari.

Officium aliquod domi gerentibus omnes pareant in ijs rebus, quæ ad eorum officium pertinent.

Memor sit vnusquisque vocationis suę, eoque nomine sæpè Deo gratias agat, coneturque maximè vitam, vt clericum decet, instituere. Cum tàm multæ vtilitates ex boni, tot detrimenta ex mali vita Sacerdotis proficiscantur.

Modestiam vbique seruent, in Ecclesia præcipuè, Dormitorio, cænaculo, ac extrà Domesticos parietes, cum illa adolescentiæ peculiare sit ornamentum. Caueant

ueant igitur ne oculos huc, illuc circumferant, ne loquantur altiùs, præsertim si multi sint; ne strepitum excitent, ne nimis festinanter incedant.

In mensa loco sibi assignato assideant, nec panem detegant, nec edendi initium sumant priusquàm id à Rectore fieri viderint, vel eo absente, ab illo, qui eius partes eo loco geret, ibique silentium, modestiam, honestatem, temperantiam adhibeant.

Ad ea, quæ leguntur, vel à concionatore dicuntur, diligentèr attendant, ex hisque aliquem fructuum percipere studeant.

Cum silentium permultum ad pacis, pietatisque conseruationem, ad studia, & ad multas perturbationes euitandas conferat, nunquam colloquantur, nisi de rebus necessarijs, idque præcipuè ante, & post orationem, Missam, examen conscientiæ, Sanctissimorum Pænitentiæ, ac Eucharistiæ Sacramentorum perceptionem, præterquam relaxationis tempore, quo de rebus vtilibus sermones habere, sine tumultu tamen licebit. Vitent autem minus honesta verba, inanesque collocutiones: Alios inter loquendum ne carpant, aut quouis modo lædant, neque verò se ipsos laudent, nisi cum ad proximi fructum id est necessariò faciendum.

In omnibus actionibus, motu corporis, & verbis elationem, ac superbiam fugiant, cum ea homines Deo inimicos, & cæteris odiosos reddat. Pertinaciam præter cætera deuitent; in omnibus humilitatem, ac mansuetudinem præseferant.

Vt multorum malorum occasio tollatur, nullus omninò pecuniam apud se habeat;quod si apud quempiam nummi reperti fuerint, præterquamquod vel Congregationi, vel pauperibus clericis adiudicabuntur, prout Rectori videbitur, is prætereà graues pœnas dabit.

Poterit tamen illos apud eum, qui constitutus fuerit, deponere, per quem, cum opus sit, in res necessarias de licentia Rectoris scripto exarata insumantur.

Nullus comedat, ac ne aquam quidem bibat extra tempora consueta; illis tamen exceptis, quibus propter ætatem à Rectore fuerit concessa facultas, ac proinde nullus promptuarium, culinam, aut alia eiusmodi loca ingredi audeat; ne cœnaculum quidem, nisi cum prandendum sit, aut cænandum.

Sexta feria cæna, prçterquam tempore Paschali, abstineant, acetario, vel alio leui additamento contenti.

In vigilijs, quæ in tabula dierum Festorum ædita commendantur, ab esu carnium abstineant.

Conueniant omnes ad res cõmunes in Ecclesiam, in cænaculum, ad primam mensam, in locum recreandis animis assignatum, & ad alia huius generis idque etiamsi peculiaribus occupationibus, concionum aliarumue huiusmodi rerum impediti teneantur: nec inde absque venia discedant, priusquam id absolutum fuerit, cuius causa conuenerint. Qui secus fecerit, grauitèr punietur. Sic in alijs rebus, publica semper priuatis anteponant.

Dato mane surgendi signo, statim consurgant om-

omnes, celeritate in omnibus vtantur, ac demùm omnia statis temporibus peragant.

Munditiei corporis, rerumque suarum studiosi sint. Otium verò, ac desidiam fugiant, quæ cum Ecclesiasticos omnes dedeceat, tum eos potissimum, quibus aliorum cura committenda est.

Siquid amissum inuenerint, ad ministrum deferant, vt qui amiserit, statìm inueniat, omnisque propterea suspicionis causa euitetur.

Mutuam charitatem, ac beneuolentiam omni studio amplectantur, vt quemadmodum debent, tamquam vnius corporis membra perfecto amoris vinculo colligentur.

Aliorum defectibus compatientes, nihil in deteriorem, sed omnia in bonam partem accipiant.

Nihil inter se differant, aut alter alteri præferatur, posthabeatur, omni, diuitis, & pauperis nobilis, & obscuri discrimine sublato.

Alter alteri honorem exhibeat præcipuè in superiori ordine constituto, maximè verò si sit Sacris initiatus. Hoc enim vel maximè mutuam alit beneuolentiam, estque purgatæ conscientiæ, & animi verè nobilis argumentum.

Nullus nisi proprio, aut familiæ nomine quemquam appellet, nec ei quouis modo illudat.

Studeant in primis, vt pax, & concordia inter se conseruetur, sublatis, quantum fieri possit, omnibus dissidij, ac discordiæ causis, si qua verò inter aliquos suboriatur offensiuncula, omninò tollatur,

quos tamen, qui præsentes adfuerint, Rectori significent, sin autem huic officio defuerint, eiusdem Rectoris arbitrio puniantur.

A priuatis amicitijs, nimiaque inter se familiaritate abstineant; conuenticulas ne agant, ex quibus multa damna in congregationibus existunt; quamobrem sine vllo discrimine cum omnibus versentur, numquam verò separatim ab alijs inter se colloqui, aut esse liceat, nisi tres saltem, aut quatuor fuerint, præsertìm autem relaxationis tempore.

Quas in alijs virtutes cernunt, eas in se ipsis exprimere certatim contendant. Humilitatis, obedientiæ, modestiæ exempla vicissim desumant. Vitia, si quæ fortè in alijs perspexerint, vitent: Nullusque tàm sit impius, vt alios piè aliquid agentes, vituperare audeat. & Dæmonis officio fungens, eum ab operibus virtutum conetur abducere.

Qui aliquid minus laudabile in quoquam perspexerit, aut aliquem correptione, vel pœna dignum animaduerterit, Rectorem statim commonefaciat: qui secus fecerit, tamquam malorum fautor punietur.

Nullus, siuè ioco, siuè quouis alio prætextu, alium tangere præsumat, quique se ab alio tactum senserit, Rectorem admoneat, alioqui eandẽ pœnam subibit, quæ ei, qui tetigerit, arbitrio Rectoris grauiter iniungetur.

Quo die relaxatur animus, ne ijs ludis se exerceant, qui in Synodo nostra Diœcesana nominatim vetiti sunt: poterunt autem, aut pila minori, aut

globis

globis ligneis per annulum ferreum impellendis, aut pyramidulis pila iaciendis (vulgo giuoco dell'ossi) aut alio eiusmodi non indecoro exercitationis, Ludiue genere vti, prout Rectori expedire visum fuerit, idque, si domi maneant, tantùm à prandio; sin autem in villam exierint, etiam matutino tempore, si facultas detur.

Nullus alterius officium occupet; si quando verè legitimè impeditus, proprium alteri committendum sit, re primum cum superiore communicata, modestè, non cum imperio faciat. Quod si illud ad ea, quæ Ecclesiæ sunt, spectet, non nisi in eodem ordine constituto demandetur.

Nullus nisi de Superioris licentia dono, aut mutuo det quidquam, vel accipiat.

Qui contra fecerit primum re ipsa, quam tradiderit, mulctetur, tùm etiam graues errati pœnas luat.

Alterius dicta, vel facta ne quisquam curiosè vestiget: Cum id animum à pietate, & à studijs auocet, & multas in Adolescentium Collegijs plerumque perturbationes excitet.

Cum Reuerendissimus Episcopus ad Seminarium se conferet, omnes ei aduentanti ad ianuam vsque Seminarij violaceis vestibus induti obuiam prodeant, easque coram illo semper retineant, etiam cum in cœnaculum prandendi causa venerit.

Idem seruetur arbitratu Rectoris in aduentu externi alicuius Episcopi, aut alterius Viri Illustris in dignitate constituti, etiam laici.

Si

Si verò proprius, aut alter Episcopus Missæ Sacrum facturus Ecclesiam ingreditur, eidem obuiam prodeuntes, superpelliceum induant.

Externis omnem honorem, vt par est, deferant, seque coram illis, vbicumque fuerint, modestè gerant; non tamen eos alloquantur, aut per Seminarium deducant, nisi à Rectore obtenta facultate.

Quod si aliquis Vir Primarius ad Seminarium veniat, qui à suis locis absfuerint, statim se ad ea in cubiculum recipiant; si verò propter alicuius dignitatem eum ad ianuam suscepturi sint, post eius ingressum statim ad sua loca reuertantur.

Famulis nihil imperent, nec cum ijs sine facultate agant quidquam, aut loquantur.

Quæ ad studia pertinent.

CAPVT IV.

QVàm diligentissimè incumbant in ea studia, quibus à Reuerendissimo Episcopo per Rectorem addicti fuerint; in ijs etiam præscriptum sibi ordinem seruent.

Præceptoribus suis honorem, reuerentiam, & obedientiam exhibeant; in gymnasio modestè versentur, lectiones attentè audiant, ex ijsque fructum percipere studeant, nec eis è gymnasio sine præceptoris venia exire liceat.

Semper latinè loquantur, excepto vespertino tempore

pore

pore post cænam, & die ad relaxandum animum assignato.

Cantum, quem firmum appellant, omnes ediscant, figuratum etiam ij, quibus à Rectore commissum fuerit; idque statim post prandium hora constituta.

Extra prædictum tempus nullus nisi de licentia Rectoris canat, præterquam relaxationis die, Festisque diebus stata hora recreationis. Eleganter omnes & graphice pingere litteras discant præscripto tempore sub præceptore, qui ad id inductus fuerit.

De Vestitu.

CAPVT V.

Habitu non exquisito nimis, aut eleganti, rursus nec sordido, nec abiecto vtantur, cum vtrumque Ecclesiasticum præcipuè hominem maximè dedeceat.

E cubiculo nemo exeat nisi decenti vestitu ad præscriptam formam amictus, eoque circa corpus compositè accommodato, neque nisi decenter contecti, & cum subucula iaceant in lecto.

Vestes non ferant nisi laneas, easque non caudatas.

Pallium, quod ferraiolum dicunt, ne ferant, nisi per pluuias, aut causa itineris, neque nouas vestes, aut alia integumenta sine Rectoris facultate conficienda curent.

Vestibus item non vtantur pelliceis, præsertim cum domo exeunt.

Cali-

Caligæ nec turgidæ ſint, aut ſectæ, nec alterius quam nigri coloris. Quod ſi alicui permittatur, vt diſſectas geſtet, eas ſupra genua nodo alliget.

Collaria artificiosè elaborata reijciant, nec camiſas ad manus reflectant.

Superior veſtis ad collum decenter adſtricta ſit. Eius manicæ cum interioris tunicæ manicis æquentur. Bireti, vt vocant, interior pars nigri tantum ſit coloris: Pileum nimis prætioſum ne geſtent, iſque tortili cingulo modico claudatur.

Chyrotechas non induant, nec cingula, aut vincula tibialium ſerica, aut reticulata adhibeant.

Qui aliquod indumenti genus contra conſtitutiones apud ſe habuerit, præterquamquod illud diſtribuetur indigentibus, in eum præterea grauitèr animaduertetur; nec illi Sacræ ordinationis tempore litteræ teſtimoniales de clericali veſtitu concedentur.

De Domeſticis exercitijs, alijsque præſtandis, cum domo exeunt.

CAPVT VI.

VNuſquiſque lectum ſuum componat; e loco ſuo omnes ſordes amoueat, omnibus in rebus munditiam, ac nitorem procuret, eaſque ordine diſpoſitas habeat & munera, quæ ſibi obuenerint ſiuè in cubiculo, ſiuè foris, diligenter obeat.

Singuli in Menſa legant, & inſeruiant prout illis à

Recto-

Rectore præscriptum fuerit: eoque presente, nudato capite inseruiant.

Nihil perniciosius adolescentibus, ijs præsertim, qui sub certa viuendi disciplina degunt, & litterarum studijs dant operam, quam sæpius domi, multo magis per Vrbem vagari; estque hoc inanis cuiusdam leuitatis certissimum argumentum.

Quamobrem nullus à cubiculo, ne à suo quidem loco, nullus relaxationis tempore à loco constituto sine Præfecti sui venia discedat.

Nullus ad ianuam accedat, viridarium, aut alienum cubiculum ingrediatur, nisi eius rei facultatem à Rectore obtinuerit.

Nulli quauis ratione priuatis de causis è Seminario exire liceat, nisi de licentia Rectoris, à quo hæc licentia tantum permittetur, cum id vrgens necessitas postulabit, & ijs solum de causis, quæ illi à Reuerendiss. Episcopo fuerint præscriptæ, nequè vero nisi communi ianua ingrediatur, aut exeat.

Cum in publicum prodeunt, violacei coloris vestes induant.

Eodem habitu in Ecclesia vtantur, cum diuinis Officijs, aut concionibus, aut missæ Sacrificio intersunt; præterquam cum ferialibus diebus Missam audient. Alijs temporibus eas ne deferant, etiam si obtenta facultate vacationis tempore, aut alia de causa domum se conferant.

Curet vnusquisque, vt decimo quinto quoque die aliquis ad Seminarium veniat, qui sibi de necessarijs

prouideat,pecuniamque deponat penes electum à Rectore in minoris prætij rebus insumendam.

In incessu,siuè domi, siuè foris grauitatem, & modestiam præseferant, ne cursitent, vel contentius ambulent; brachia ne iactent, oculis ne vagentur, aut in via rei alicuius inspiciendæ causa consistant. Ne altiore voce colloquantur, ne brachijs vestes inuoluant, etiam si puluerulenta via sit, aut lutulenta, caueant tamen,ne eas luto inficiant, aut puluerem excitent.

Dum in Ecclesiam procedunt, & loci Sanctitatem, & conueniendi causam attente cogitent, debitamque pietatem, modestiam, ac silentium seruent.

Cum in Ecclesia maiori, aut in alia quàvis extrà Seminarium erunt, non modo ab Ecclesia, sed ne à choro sine Vicarij Generalis, cum adest, vel eo absente sine eius facultate, quem Rector constituerit,etiam à quocumque vocati discedant, ijs exceptis, à quibus pro ceræmoniarum ratione Canonici ordinarij tunc in diuinis officijs ministrantes à Choro in Sacristiam, & ab eadem in Chorum deducendi erunt: qui sine huiusmodi licentia à sua statione discesserit, grauitèr à Rectore punietur.

Ne de nocte, nisi cum lumine domo incedant, qui secus fecerit, graues pænas dabit.

Qui exeundi potestatem iusta aliqua de causa sibi fieri cupient, pridie illius diei exeundi causam Rectori in scriptis significabunt. Ministrum simul de officio,quod domi præstare debuissent,certiorem facient; impetrata facultate, in exitu Rectorem adeant: idem

faciant,

faciant, cum reuertentur.

Inter eundum illam cautionem adhibeant, vt minores dignioribus primum locum cedant.

Ea tantùm loca petant, ad quæ proficiſcendi conceſſa fuerit licentia; ac dent operam, vt quam celerrimè fieri poſſit, ſe expediant: domumque ſe recipiant, antequam detur ſignum angelicæ ſalutationis.

Cum aſſignatis ſibi ſocijs exeant, & ab ijs nunquam ſeſe diſiungentes domum reuertantur.

Nullus è Seminario quidquam aſportare audeat, priuſquam illud Rectori, aut Miniſtro oſtenderit.

De Infirmis.

CAPVT VII.

CVm primum morbo correptus quis decumbet; ac præcipuè febri, ſtatim per ſe, aut per alium Miniſtrum moneat: ac in valetudinarium miſſus, continuò confeſſorem accerſat, eique peccata ſua confiteatur.

Medico obtemperet, & cui infirmorum cura demandata eſt.

Morbi vim patientèr ferat, ac in omni fortitudinis, ac conſtantiæ officio ſeſe continens, patientiæ, & pietatis exemplum ijs præbeat, qui ad illum inuiſendum acceſſerint.

Ne quiſquam ægrotum inuiſat ſine Rectoris, aut Miniſtri facultate, neuè ad illum quidquam afferat,

præter ea, quæ Medicus præſcripſerit, idque à Rectore vel Miniſtro venia petita.

Cum aliquis periculosè ægrotauerit, omnes pro eo Deum ſuppliciter orent, vt ſi ad maiorem Dei gloriam, & ægroti ſalutem futurum ſit, priſtinam recuperet valetudinem.

Quæ ad has Clericorum conſtitutiones generatim pertinent.

HÆ conſtitutiones ad Clericos pertinentes, ſemel vt minimum ſingulis menſibus in triclinio legantur, quibus ſicùt & cæteris omnibus, quæ à Rectore præcipientur, obedientes erunt; ab eoque impoſitas pænas promptè ſubibunt.

Illudque omnes meminerint, niſi benè, ac religiosè ſe geſſerint, fore vt eijciantur è Seminario, atque compellatur ſponſor, vt totum id dependat, quod pro illis ſpoponderit.

Distributio horarum totius Anni pro Seminario Montis falisci Hyemali tempore.

Hora duodecima surgant Præfecti, qui alios excitare debent statimque lucernas accedant, & surgant omnes.

Semihora ad vestes induendas, abluendas manus, & sternendum lectum concedatur.

His peractis semihora mentali Orationi, & quadrans Officio B M.V. assignetur.

Persoluta officij recitatione studia assumantur.

Dato scholarum signo statim omnes ad gymnasia domestica se conferant.

Schola completa ad audiendum Sacrum in Capellam ibunt.

Peracto missæ Sacrificio ad prandium pergent.

Post Prandium hora relaxationi animorum detur.

Signo Recreationis completæ audito studia reassumantur.

Post Studium ad gymnasia ibunt.

Scholæ persoluto tempore, Vesperarum, & Completorij preces persoluant.

Reliquum vsque ad vigesimam quartam horam tempus recreationi, siue deambulationi concedatur, nisi Rectori melius visum fuerit lectiones Cantus tum figurati, tum vt appellant firmi eo tempore haberi, quibus absolutis omnes in Cubiculum se recipiant.

Hora vigesima quarta signo dato spatio duarum horarum cum dimidia studijs operā dabunt, quo tempore etiam repetitiones habeantur; Superiorum scilicet scholarum trium horæ quadrantium; Inferiorum verò integra horæ spatio attributo.

Inde ad cænam ibunt.

Post Cænam horam relaxationi animorum detur.

Postea conueniant omnes in Cappellam, vbi quadrantis horę spatio meditationis matutinæ ratio reddatur, & alio horæ quadrante futuræ meditationis argumentum accipiant, & insuper conscientiæ excutiendæ altero quadrantis horæ spatio assignato.

Tandem extremus horæ quadrans recipiendis in lectum detur.

Distributione dell'hore di tutto l'Anno per il Seminario di Monte fiascone in tempo d'Inuerno,

	Hore	Quarti
All'hore dodeci si da il segno di leuare. ——		
Leuarsi, e vestirsi. ——		2
Oratione mentale, & Officio della B.V. ——		3
Studio. ——	1	3
Scola. ——	2	2
Messa. ——		2
Pranso. ——		3
Ricreatione. ——	1	
Studio. ——		3
Schola. ——	2	2
Officio della B. V. ——		2
Canto ò ricreatione. ——		2
Studio, e Repetitione.	2	2
Cena. ——		2
Ricreatione. ——	1	
Conferenza, & esame di Cosciēza. ——		3
Dormire. ——		

Aesti-

Aestiuo tempore.

Mane post horam septimam cum dimidia signo surgendi dato seruetur eadem distributio temporis, quæ hyeme, vsque ad finem recreationis, vt in apposita columna, in qua assignatur spatium vnius horæ cum dimidia, quo tempore partim recreationi partim musicæ, & partim scribendi arti addiscendæ vicissim operam dabunt semihora vnicuiq; exercitationi præfinita.

Post recreationem semihora quieti detur.

Deinde vsque ad signum Scholarum studijs vacabunt.

Signo Scholæ dato ad gymnasia domestica pergent.

E Schola reuersi Vesperarum, & Completorij preces persoluant.

Precibus persolutis ad Cœnam ibunt.

Post Cœnam hora relaxationi animorum detur.

Inde conueniant omnes in Capellam vbi meditationis matutinæ ratio reddatur, & futuræ meditationis argumentum accipiant postea quadrantis horæ spatium Conscientiæ examini assignetur.

Extremus quadrans excipiendis in lectum detur.

Per l'Estate.

A hore sette, e meza si da il segno di leuarsi.

	Hore	Quarti
Leuarsi, e vestirsi.	-	2
Oratione mentale, & Officio.	-	3
Studio.	1	2
Messa.	-	2
Pranso.	-	3
Ricreatione.	1	2
Riposo.	-	2
Studio.	2	2
Scola.	2	2
Officio della B. V.	-	2
Cena.	-	2
Ricreatione.	1	-
Conferenza.	-	1
Punto di meditatione.	-	1
Esame di conscientia.	-	1
Spogliarsi, e andare à letto.	-	1

Paranda à Clericis antequam Seminarium ingrediantur.

ADmiſſi ab Epiſcopo antequam in Seminarium recipiantur dent idoneum fideiuſſorem ad pręſcriptam formam, vt infrà.

Si aliquid pro victu ſoluant dimidiam partem Oeconomo, ſeu Miniſtro Seminarij afferant.

Præthereà ea omnia, quæ in ſequenti tabella continentur, antequam ingrediantur, prompta ſint, videlicèt

Breuiarium, Diurnum, Officium B. V. & liber aliquis de rebus ſpiritualibus conſcriptus, ac omnes prætereà libri, quibus in gymnaſio vti debent.

Corona.

Tabella, in qua Sacra aliqua imago ſit depicta.

Vaſculum ad Aquam benedictam continendam.

Veſtes exteriores duæ laneæ violacei coloris.

Interiores item duæ, quarum altera hyemis tempore, altera ęſtate afferatur.

Pallium quod ferraiolum appellant.

Pileus ad formam, & Biretum, cuius interior pars nigri tantum ſit coloris.

Cingulum.

Sex ad minimum induſia, Collaria duodecim, Manutergia duo, aut tria, Sudariola quot opus fuerint.

Lectus, Capſula, Scabellum iuxta formam Seminarij, Culcitra tramentitia, lintea &c. ad vſum Seminarij tùm hyemalis temporis tùm ęſtiui.

De fideiussore dando ab his, qui Seminarium ingrediuntur.

NVllus in Seminarium recipiatur, nisi prius idoneum fideiussorem dederit, qui pro eo spondeat non solum quo ad repreſentationem duodenæ singulis sex menſibus, quam pro victu soluere debebit, sed etiam veſtitum iuxta Seminarij Conſtitutiones; Et qui, ſi Clericus è Seminario sine facultate Episcopi diſceſſerit, aut propter improbitatem, aliamue cauſam expulſus fuerit, in his omnibus, & singulis, alijſque in forma cautionis conſueta præſcriptis, si quid horum contingerit, teneatur pro victu ſoluere omne Clerici debitum.

SS. D. N. GREGORII PP. XV.

Constitutio contra Sollicitantes in Confessionibus.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNiuersi Dominici gregis curam, quamque immeriti cœlesti dispositione gerentes, sedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conseruetur immunis, multoque maiori studio prouidere, vt omnis pestis ab ijs auertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Euangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit in quo saliatur, & ad nihilum prosit vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis prouisum fuit, vt impium, ac nefandum scęlus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, sollicitando pœnitentes ad turpia abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat; & ex cœlesti medico infernalis veneficus; ex Patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur; idcirco Nos ea, quæ his perniciosissimis diaboli insidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidendo duximus; Aliàs si quidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. Ven. Fratri Archie-

piſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cum ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſiue eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit Domino Deo, & Saluatori noſtro IESV CHRISTO iniuriam facere vereantur, mulieres, videlicet, pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in Diuinæ Maieſtatis offenſam, animarum perniciem, & Chriſtifidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus per præſentes committimus, & mandamus quatenus per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſeculares, quam quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum, Ordinum Regulares cuiuſcunque Dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper Fide Catholica, & quod de ea ſentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos à

Sede

Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorum qualitates; prout iuris fuerit, punias, eas etiamſi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione ſecularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo; non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis; & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xvj. Aprilis MDLXI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo. Igitur vt litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obſeruentur Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquiſitorum præinſertas literas huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus. Illiſque omnibus, & ſingulis inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, illaſque non ſolum in prædictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibuſuis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus. Ac præterea, non in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit,

 ſtatui-

statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes tam seculares, quam quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicę immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuscunque Dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel procurare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint in Officio S. Inquisitionis seuerissimè, vt infra puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territorijs per has nostras litteras etiam priuatiuè quo ad omnes alios specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei iuxta Sacrorum Canonum formam, nec non officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantijs, suspen. ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & car-

ceres

cere, etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ seculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum cum difficilis sit probationis, testibus, etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ seculari, vt præfertur reum tradendum esse pronunciandi. Non obstan. omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu vt præfertur tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs prædictis, quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt supra ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranen., ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris

ris die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

S.Card.S.Susannæ.

Anno à Natiuitate D.N.Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, Indictione v. die vero prima mensis Septembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris D. N. D. GREGORII diuina prouidentia Papa XV. Anno eius Secundo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valuas Basilicarum S.Ioannis Lateranen. Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ vt moris est, per me Brandimartem Latinum Apost.Curs. Octauius Spada Mag.Curs.

Lettera della Sacra Congregatione del Sant'Offitio, sopra la Bolla di Gregorio XV.

Contra Sollecitantes.

REu. P. Doppo essersi hauuta longa, e matura consideratione sopra il dubbio significato da diuerse bande: se i penitenti siano obligati a denunciare i Confessori, da quali sono stati sollecitati nel luogo, & atto della Confessione, quando hanno acconsentito alla sollecitatione, N.Sig.e questi miei Sign. Eminentissimi in Congregatione tenuta auanti Sua Santità a'25. di Luglio passato, doppo hauer anco inteso il parere d'vna particolar Congregatione deputata a quest'effetto, hanno risoluto, che qualsiuoglia penitente è tenuto a denunziare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo, & atto della Confessione, ancorche gl'habbia consentito, e non è tenuto a propalare il proprio consenso; nè sopra ciò s'interroghi dal Vescouo, ò dall'Inquisitore, ò da loro Vicarij, auanti quali deporrà, nè meno il Confessore denunciato, procedendosi poi contro di lui nè i constituti, che se gli faranno, s'interroghi sopra detto consenso: & in caso, che egli volesse dirlo da se, non si scriua il suo detto, come cosa in ordine alla persona sollecitata, non spettante al Sant' Officio della S.Inquisitione. Le parti dunque di V. R. sono di significare a Confessori detta resolutione, e d'incaricargli-

gliene strettamente l'osseruanza, acciò ne' casi, che occorrono alla giornata, conforme al tenore della Constitutione publicata da Gregorio XV. di santa mem. contro i Confessori sollecitanti, significhino a' penitenti l'obligo, che hanno di denunciar' i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & hauendoli consentito, e facendo difficoltà di scoprire il proprio consenso, conforme alla resolutione, che si è fatta, gli dicano apertamente, che non sono tenuti a propalare il detto consenso, e che tanto i penitenti, quanto i Confessori sollecitanti, procedendosi contro di loro, non saranno di ciò interrogati, e dicendolo da se, non si scriuerà, nè riceuerà il detto loro: e quando il penitente persistesse tuttauia nella medesima renitenza, Nostro Signore si contenta, che dal Vescouo, ò dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di riceuere per scrittura, e con giuramento la denuncia, per portarla a chi gl'haurà data autorità di pigliarla. E se oltre le cose sudette occorrerà altro capo graue, per il quale il penitente non si possa indurre: Sua Santità vuole, che se ne scriua quà, e si aspetti la risposta: Et in tanto non si proceda nell'assolutione. Et in tanto V.R. si contenterà di far osseruare nella sua Giurisditione facendo registrare la presente ne gl'atti di cotesto Sant'Offitio per informatione sua, e de suoi successori, quali haueranno mira, che la presente risolutione riguarda solo a quei penitenti, che per hauer consentito fanno difficoltà in denunciare; ma a quei, che non hanno consentito, ò hauendo consentito, non sono in ciò renitenti, il Confessore non deue porre difficoltà alcuna, ma lasciare, che indifferentemente, e liberamente sodisfaccino all'obligo, che hanno di denunciare, conforme alla Constitutione; & il Signore Iddio la conserui.

Di Roma li 27. Settembre 1674.

All'Illustriss. e Reuerendiss. Signore
MONSIGNOR VESCOVO DI SVTRI, E NEPI.

Illustriss. e Reuerendiss. Signore.

IL delitto di sollecitatione in Confessione Sacramentale hoggidi per humana fragilità pur troppo frequente, rimane

mane il piu delle volte senza castigo, per non hauerne il foro esteriore notitia, e proua sufficiente, che se bene la sa.mem. di Gregorio XV. nella sua Bolla *contra sollicitantes*, all'vno, & all'altro prouidde, imponendo a Confessori, che auuertissero li Penitenti dell'obligo di denuntiare quelli, da' quali fossero stati sollecitati, rimettendo al giuditio di questa Sacra, e Suprema Congregatione l'arbitrio delle pene; ad ogni modo l'ignoranza, e malitia di molti Confessori non solo lascia d'insinuare a' penitenti, che denuntijno, ma bene spesso persuade loro il contrario, & li dà a credere, non essere tenuti a farlo; restando in tal guisa vn sacrilegio per altra via, che de' penitenti resti impenetrabile, e del tutto occulto, & impunito.

A sì graue inconueniente, volendo Nostro Signore per il suo santo zelo prouedere, hà risoluto col parere di questi miei Sig. Illustriss. che nell'auuenire a ciascun Sacerdote Regolare, ò Secolare, che sia, quando verrà dall'Ordinario per essere approuato alle confessioni nell'atto stesso d'approuarlo si legga, & intimi la Bolla sudetta di Papa Gregorio, e particolarmente l'vltimo §. di essa *Mandantes omnibus Confessarijs, &c.* acciò nel medemo tempo intendano li Confessori la grauità delle pene proposte a tanto eccesso, e sappino, che non esortando, come deuono li penitenti sollecitati a denuntiare, ò insegnando loro non esser tenuti, haueranno da esser castigati da gl'Ordinarij, ò da gl'Inquisitori. Ma per conto de Confessori già esposti si rimette all'arbitrio di V.S. il modo di far auuertito ogni, e qualunque Confessore acciò non possa alcuno pretendere ignoranza. Et il Signore Iddio la prosperi sempre, & conserui.

Di Roma li 3. Ottobre 1626.

Affettionatiss. per Seruirla.

Il Cardinal Mellini.



